BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 E
22

Digitized by Google

Digitized by Google

MARIA PATRONA,

SEV

DE SINGVLARI SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS, ET VIRGINIS MARIAE

Patronatu, & Patrocinio in ſibi deuotos; ſpecialiter in Carmelitici Ordinis fratres, & ſodales, qui ſub Scapularis ſacri vexillo ipſi deſeruiunt.

Summorum Pontificum, & grauium DD. authoritatibus comprobato.

PER P. M. IOANNEM BAPTISTAM DE LEZANA, eiuſdem Ord. S. Congr. Indicis Conſultorem, Beneficiorum, Examinatorem, ac publicum Sap. Rom. Lectorem, Hiſpanum Matritenſem.

DIVÆ VIRGINI CARMELITANÆ NEAPOLIS PACIFICÆ PATRONÆ.

Bibl. Coll. Soc.



Secr. Rom. Jesu

ROMÆ, Ex Typographia Vitalis Maſcardi, MDCXLVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVAE VIRGINI CARMELITANAE

NEAPOLIS PACIFICÆ PATRONÆ.

CVM primum, Orbis Patrona, tuus iſte Neapolitanus Populus innumeris tibi obſtrictus beneficijs, & ſuo natiuo Principi ſemper obſequentiſſimus, ab eo viſus eſt cogitare defectionem, hæc menti meæ, pietate tua, altius inſedit cogitatio, vt hanc pauperculus, & ingenij inops de tuo benigniſſimo *Patronatu*, in eos præcipuè, qui ſub *Scapularis* Vexillo militant, opellam euulgarem, qua tui auro pretioſior deuotio omnium animis enixius infigeretur. Sic ratus, Te, quæ *negotium* es *omnium ſæculorum*, auſpicante, fulgura in pluuiam, nubila in Phœbum, tenebras in lucem, ac bellorum terriculamenta

Digitized by Google

in publicam vertenda tranquillitatem. Nec hærendum, ſpes noſtra, fuit, cum ſis Mater *Sanctæ ſpei*, & *oculi tui columbarum*, ſiue illius inſtar, quæ portauit *ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo in ſignum fœderis*, ſiue alteri ſimilis, cuius *pennæ deargentatæ & poſteriora dorſi eius in pallore auri*. Etenim extemplo quæ tua ſub armorum ſtrepitu gemebat Parthenopes, Te Parthenice fauente, quæ cauſa noſtræ lętitiæ diceris, exultans, & lætabunda clamat: *Congratulamini mihi, quia inueni Drachmam* (pacem) *quam perdideram*. Et quidni faceres, quæ à multis ſæculis *in Populo honorificato* vix narrabilibus in ipſo patratis prodigijs, & portentis, radicata, vt *Turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*, & veluti *Turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*, ei facta es *murus, & antemurale?* Pro ipſo nunc ſequeſtra bellicum furorem in fines agis Thracios ei annuncians: *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*. Nec abs re, hæc de Te, ô ſuperpijſſima *fœderis arca*, ominandum, quandoquidem tua ſacerrima Carmeli eius vrbis Ædes veluti prius tumultuantis Po-

puli

puli tragœdiæ theatrum extitit, ſic poſtliminio pacatæ reconciliationis Aula Regia fuit; in qua reſides, *pacificans, ſiue, quæ in terris; ſiue, quæ in Cælis ſunt.* Olim Te Protectrice Auſtriacus Ioannes Catholicæ claſſis Vexillifer Agarenicam turbam clade ingenti compreſſit, nunc iunior ſummæ ſpei Ioannes Regia Catholici Philippi proles, ſine ſanguine victor, Te etiam Iberiæ Tutelari fauente, proclamatur. Inigus quoque Oñatenſis Comes Hiſpani Monarchę egregius Adminiſter, quam erga tui, & Eliadum cœtum, eiuſque almificam Thereſiam deuotionem gerit vicem promeritam excipit, dum, quod mortalium virium ſuperabat captum, à Carmeli Matre feliciſſimè obtinet. Sane quia,

Afflictis tu ſpes vnica rebus.

Dei ergo Parens ſublimiſſima, Regi, Regis filio, Proregi, & Populo, qua ſoles benignitate, ipſorum columen inclytum, opem feras deprecor. Nihil enim, à Chariſſimo pignore Ieſu petis, quod non obtineas, qui propterea in hac tua ſacra Æde, quod prius elatum gerebat caput inaudito miraculo inclinauit cunctis ad futurus. Nec tibi ab initio concrediti Carmelitici gregis, dum ſub nubeculæ typo ab Elia tuę illibatę Virginitatis pręſcio viſa es,

pijſ-

pijſſima Patrona, obliuiſcaris: quin cui nomenclaturam donare dignata fuiſti prębeas Chariſmatum dona, ne tantę Matris filij degeneres videantur. Mihi quoque redemptorum miſerrimo vnicam hanc impetrare gratiam dignare, vt à Diuina Voluntate nunquam deflectam; ipſius potius nunc, & per ſempiterna æua exactiſſimus obſecutor ſim. Hoc etiam leuidenſe opuſculum benignè excipias vt Mater, tuearis vt Domina, prouehas vt Regina, vt tuę protectionis munere ſcutulatum in lucem prodeat, gratius Deo, vtilius mundo, & tibi obſequioſius, quæ cum Patre filia, cum Filio Mater, cum Spiritu ſancto Sponſa, viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum.

Filius indigniſſimus, quin ſeruus viliſſimus

Fr. Ioannes Baptiſta de Lezana.

Digitized by Google

Frater Hippolytus Seſoldi S. T. Magiſter, nec non humilis Vicarius Generalis Ordinis Dei Genitricis Virginis Marię de Monte Carmeli antiquæ obſeruantiæ Regularis.

REuerendo Adm. Patri Magiſtro Ioanni Baptiſtæ de Lezana noſtræ Prouinciæ Caſtellæ profeſſo Sacerdoti, nec non Terræ ſanctæ Prouinciali, & Ordinis noſtri Aſſiſtenti Generali, ſacræque Congregationis Indicis Conſultori, atque in Romana Sapientia publico Lectori, qua fungimur auctoritate, ac præſentium tenore licentiam concedimus, vt librum, cui titulus *Maria Patrona*, à Magiſtris Theologis ex noſtra commiſſione perlectum, & approbatum, ſeruatis de iure ſeruandis, prelo tradere, & in lucem edere poſſit, ac valeat. In quorum fidem, &c. Datum Empoſij die 2. Februarij 1648.

Fr. Hippolytus Seſoldi Vic. Gen. Carm.

Fr. Æmilius Iacomelli Prouincialis Bohemiæ, & Secr. Ord.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. S. A. Pal.

A. Rinaldus Viceſger.

LIbrum hunc Adm. Reuerendi Patris Magiſtri Fr. Ioannis Baptiſtæ de Lezana, ſacræ Congregationis Indicis Conſultoris, & in Romana Sapientia Profeſſoris publici, ex commiſsione noſtri Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Fratris Hippolyti Seſoldi Ordinis Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo, antiquæ & Regularis obſeruātiæ Vicarij Generalis, accuratè perlegi, ac diligenter euolui, & pulchritudine totius generis bonitatis, honeſtæ ſcilicet, vtilis, & delectabilis condecoratum inueni, necnon ſacræ doctrinę conſonum, & apprimè veritati conformem; ita vt meritò prodeat in lucem, mandetur typis, toti Chriſti Reipublicæ pervtile & ex quo abſdubiè animarum ſaluti fructus exhauriētur vberrimi. Hæc mea cenſura hoc iudicium, in Conuentu Tranſpontinæ Romæ die 2. Ianuarij 1648.

Fr. Michael à ſancto Ioanne.

Imprimatur

Fr. Vincentius Candidus S. Pal. Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
HVIVS LIBRI.

Virgo Sanctiſſima Domina eſt, Regina, & Patrona omnium creaturarum. Cap. I. pag. 3
Specialibus titulis eadem ſanctiſſima Virgo Carmelitici Ordinis Patrona dici debet. Cap. II. 11
Quomodo titulo fundationis Ordinis competat Deiparæ Virgini eſſe ipſius Patronam. Cap. III. 14
Qualiter titulus Conſtructionis ſuperbenigniſſimæ Dei Matri competat, vt Ordinis Patrona dici queat. Cap. IV. 25
Qualiter titulo dotationis competat liberaliſſimæ Dei Parenti Patronatus in Carmeli alumnos. Cap. V. 34
Quomodo Marianus Patronatus in Carmeli Sodalitium ex authenticis Scripturis comprobetur. Cap. VI. 90
Per antiquiſſimi temporis curſum Patronatum Almificum Virginis in Carmelum comprobari. Cap. VII. 101
Quo pacto Antiſtitum litteræ teſtimoniales hunc Virgineum Patronatum corroborent. Cap. VIII. 105
An inſignia, ſeu ſtemmata Carmelitanæ familiæ hunc Patronatum Virginis Mariæ in ipſam comprobent. Cap. IX. 109
An Ius Patronatus Virgineum ex intitulatione Ordinis Eccleſiarum, & Confraternitatum comprobetur, Cap. X. 126
An Marianus Patronatus in Religionem Carmeli ex ſpecialibus obſequijs, & ſeruitijs illi exhibitis fulciatur. Cap. XI. 140
De alijs Priuilegijs huius Patronatus, & conditionibus requiſitis, vt Fratres, & Confratres Ordinis ipſis frui poſſint. Cap. XII. 158

MARIA

Digitized by Google

MARIA PATRONA,

SEV

DE SINGVLARI SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS, ET VIRGINIS MARIAE

Patronatu, & Patrocinio in ſibi deuotos; ſpecialiter in Carmelitici Ordinis Fratres, Sorores, & Sodales, qui ſub Scapularis Sacri vexillo ipſi deſeruiunt.

Summorum Pontificum, & grauium Doctorum authoritatibus comprobato.

LIBER VNICVS.

Operis diuiſio, & Apoſtrophe ad Beatiſſimam Virginem.

1 CVM ſancti Spiritus fructus, qui ſpecialiſſimè in Dei Genitrice, vtpote ſingulariſſimè eiuſdem Sponſa, Thalamo, & Sacrario, cernuntur, duodecim ſint, Apoſtolo teſte *ad Galat.* 5. *ver.* 22. Lignum quoque vitæ, quod etiam Sanctiſſimæ Matris, iuxta Doctorum mentem, typus, & exemplar fuit, duodecim etiam fructus afferat, teſtimonium ferente eius adoptiuo Ioanne *Apocalypſ.* 22. *ver.* 2.

Corona etiam, qua cæleſtis illa mulier: *Apocalypſ.* 12. *ver.* 1. in Cælo redimita cernitur (quæ Maria eſt) duodecim ſimiliter ſtellarum claritate præfulgeat, non abs re, ſed aptè, & congruè operæ pretium duxi Opuſculum hoc, in quo de Deiparæ glorioſiſſimæ patrocinio in ſibi deuotos, maximè in Carmeli Cœtum; fructibus, & gratijs, quibus ipſum exornat, ac veluti ſtellam fulgere facit, in duodecim ſecernere capita. In primo, qualiter Virgo Sanctiſsima creaturarum omnium Domina, Regina, & Patrona ſit, oſtenditur. In ſecundo, quomodo ſpecialiter Carmelitici Ordinis ſingularis, ac ſpecialis Patrona ſit dicenda. In tertio, qualiter id competat ipſi titulo fundationis Ordinis. In quarto, quomodo titulo Conſtructionis. In quinto, num etiam titulo dotationis. In ſexto, quomodo id authenticis Scripturis comprobetur. In ſeptimo, qualiter per antiquiſſimi temporis curſum. In octauo, quo pacto id quoq. Antiſtitum teſtimonialibus litteris roboretur. In nono an inſignia, ſeu ſtemmata Carmelitanæ familiæ hunc Patronatum Virginis Mariæ in ipſam comprobent. In decimo, an ex intitulatione Ordinis, plurimarum Eccleſiarum, & Confraternitatum id comprobetur. In vndecimo an idem Patronatus Marianus ex ſpecialibus obſequijs, & ſeruitijs eidem Virgini à Religione exhibitis fulciatur. In duodecimo, & vltimo de alijs priuilegijs huius Patronatus, ac de conditionibus requiſitis ex eiuſdem Beatiſsimæ Virginis inſtitutione, ac Summorum Pontificum conſenſu ad fruendum ipſis.

2 Prius tamen me ad ipſam, veluti pijſsimam matrem, indigniſſimus filius, per Apoſtrophem conuertens, duodecim quoque Carminibus ab Arnoldo Boſtio antiquo Ordinis noſtri Doctore editis, quos ipſe etiam præfixit Operi eiuſdem tituli, ſcilicet: *De Patronatu Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli*, vtens, ipſius patrocinium pro dicendis implorabo.

O Virgo mitis fundens petra dulce fluentem,
Virgula pigmenti, florida ſcala Iacob.

Nubes

Digitized by Google

Nubes manna pluens, flos & paradiſus amœnans,
Ianua clauſa manens, labe Patrona carens.
Vbera nunc aperi Chriſto dulcedine plena
Nato, mellifluens Virgo Maria tuo.
Ne ſulcos faciam diſſuetus ſcriptor aduncos
Dirige ſcribentis Virgo ſuperna manum.
Vis, potes, & debes, mitiſsima, maxima tutrix,
In te ſpes noſtri plenius ergo manet.
Vis dulcis, Regina potes, debeſque Patrona,
Funde preces igitur, munus, opemque ferens.

Virgo Sanctiſsima Domina eſt, Regina, & Patrona omnium Creaturarum, *Cap. I.*

1 DEIPARAM Sanctiſsimam omnium creaturarum, hominum maximè, communem Dominam, Reginam, ac Patronam appellari poſſe; ita vt merito proinde illud *Eccleſiaſt.*24. ei adaptet Eccleſia: *In omni terra ſteti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui*: Vel ex eo quòd ſit mater Chriſti, qui Dominus, Rex, & proprius totius Orbis Monarcha eſt, rectè eliciunt Patres, & Doctores. Hinc illa D. Epiphan j *hæres.*78. conſecutio: *Si itaque Dominus leoni aſsimilatur, &c. profectò etiam Genitricem ipſius leænam dixerim.* Hinc quoque D. Auguſtinus *ſerm.* 35. *de Sanctis* preſsius ad intentum: *Suffi.ere debet notitiæ humanæ hanc verè fateri Reginam Cælorum pro eo quod peperit Regem Angelorum*. Diuus Athanaſius, *in ſerm. in Euangel. de Deipara: Quandoquidem ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex virgine, idemque Dominus eſt Deus; eapropter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè, & verè cenſetur.* Ponderanda enim eſt illa cauſalis, *eapropter*. Rupertus *in cap.*4. *Cantic. Hæc in Cælis Regina Sanctorum, & in terris Re-*

Digitized by Google

gina Regnorum eſt, quandoquidem eſt mater Regis coronati, quem conſtituit Dominus ſuper opera manum ſuarum: ac proinde Regina conſtituta totum iure poſſedit filij Regnum. D. Anſelmus *de excellentia Virginis cap*.11. ſic loquens: *Beata Dei genitrix Maria, ſuis meritis cuncta reparando Mater eſt, & Domina rerum: Deus enim eſt Dominus omnium ſingula in ſua natura propria iuſſione conſtituendo; & Maria eſt Domina rerum, ſingula congenita dignitati per illam quam meruit gratiam reſtituendo*. D. etiam Bernardinus Senenſis *tom.2.ſerm.61.cap.6. hæc: Hæc eſt vera propoſitio: Diuino imperio omnia famulantur, etiam Virgo; & iterum hæc vera: Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus*. Sanctus Antoninus 4.*p. tit*.15. *c*.22. *§*.9. *Maria propter Chriſtum Imperatrix, & Monarcha eſt mundi*. Rectè modernus Scriptor *in cap*.8. *Prouerb. num*.125. ſic ad intentum: *Chriſtus non ex electione, aut ex meritis, quamuis hoc mereri potuit, ſed natura ipſa verè, & propriè, & non per ſimilitudinem Rex, & Imperator ſummus eſt; ſed omnis honor, & dignitas, quæ competit filio, in matrem naturali iure refunditur, ex Ariſtotele Ethic. cap*. 11. *vbi habetur: Amicitia paterna beneficiorum magnitudine praſtat, author enim eius eſt, quod videtur eſſe maximum, vt videlicet ſint filij, eorumque educationis, & inſtitutionis, id quod maioribus quoque attribuitur; nam & pater filiorum, & maiores nepotum, & Rex à ſe rectorum natura imperium obtinet: ergo in Deiparam regnum Chriſti transfunditur propriè, & non per ſimilitudinem*. Qui alia ratione id confirmat, ex Ariſtotelis doctrina petita, qui 8.*Ethic. cap*.10. inquit, quòd *filius eſt pars ſeparata patris, & fructus eius, in quo ipſe conſeruatur*. & *lib. Magnor. Moral.cap*.34. quòd *quaſi membrum parentis eſt filius, immò idem cum ipſo*. Vnde modernus alius ſic intentum corroborat: *Quia Virgo fuit principium Chriſti perfectius quam cateræ matres, concurrendo non particulariter tantum, ſed totaliter ad generationem corporis Chriſti, quatenus totum illud corpus virtute Spiritus ſancti fuit ex ſolo puriſſimo eius ſanguine compactum; potiori iure naturali quàm cætera matres, ipſa habebat filium à ſe dependentem: ergo Regnum filij potiori iure naturali in Matrem transferebatur*.

2. Hinc abſolutè eiſdem encomijs, & titulis à Patribus, & Do-

& Doctoribus decoratur. Ab Anſelmo quidem *Alloq. cæl. 26.* ſic: *Domina magna, bona Domina, Domina mundi*. Ab auctore ſermon. *in Salue Regina*, Bernardo credito: *Domina rerum, Regina Cælorum*. A Chryſoſtomo *in Liturgia*: *Domina noſtra ſanctiſſima*. Qui etiam titulus reperitur in ſanctorum Iacobi, & Marci *Liturgijs*. A Germano *Orat. de Præſent. Virg. Domina noſtra ſola*. Item à S. Ephrem Syro *in Laudibus B. Virg.* vocatur *Regina, ac Domina cunctis ſublimior*: *Regina ſupernorum Ciuium, & Domina Angelorum*. Et ab Andrea Cretenſi *Orat. 2. de Aſſumpt.* appellatur: *Regina omnis humanæ naturæ*. Reperiet ſimilem *Reginæ* titulum lector in Raimundo Iordane *par. 14. cap. 10.* Amedeæo *Lauſ. hom. 8.* Fulberto *ſerm. 2. de Natiuit. B. V.* & alijs.

3 *Patronæ, & Patrocinij* epitheta legimus etiam illi conceſſa. Etenim *in Hymno Græco apud Butæonem pag. 138.* compellatur *Patrona mundi pura, & inculpata*. Et in Germano *Orat. de Præſent. Deipar.* ac Theoſterito *in Canon. Conciliat.* dicitur *Patrocinium omnium*; ſicut *in Orat. de Zona B. Virg.* Euthymij *Patrocinium Chriſtianorum*. Pius etiam Carthuſianus Henricus Kalkarienſis Germanus in Pſalterio Virginis ſic eam compellabat.

Aue noſtri generis parens, & Patrona,
Supra cunctos poſſidens gratiarum dona,
Tuis ſanctis precibus, meritiſque dona,
Ne mens noſtra ſolito ſit in malum prona.

Abſcedat iam vetus illud; & inane Iſidis fœminæ ſimulachrum infantem in ſinu tenentis, quam nutricem, ſeu ſuſceptricem totius generis humani cœca Gentilitas appellabat apud Plutarchum *in Iſide* ex Platone, dum fœminam Virginem, & Matrem Dei omnium creaturarum Dominam, & Patronam agnoſcimus.

4 Sed exquiſitioris doctrinæ monumenta hæc ad intentum non prætermittenda. Eccleſia Romana *in Hymno officij de feſto Omnium Sanctorum* ex recenſione Vrbani VIII.

Placare Chriſte ſeruulis
Quibus Patris clementiam

Tua tribunal dextera
Patrona Virgo ſupplicat.

Sanctus Gregorius Nazianzenus ſiue Apollinaris Laodicenus *in Tragoedia de Chriſto patiente* cum Virgine loquens:

At tu quod precor ſummum id mihi
Concede, vita ſic vt excedam illius
Vt tantum habens te præſidem ſemper, velut
Ingentem opum vim, te, tuum erga filium,
Mihi Patronam ſentiam acceptiſſimam.

Diuus Anſelmus *in Hymno primo Beatæ Virginis* vocat Beatam Virginem *Patronam peccatorum*. Videnda ſunt eius opera edita Lugduni 1630. ex recenſione Theophili Raynaudi. Guillelmus Paruus *in Caput* I. *Cantic.* appellat eandem *Patronam* gregis Chriſtiani, quæ non ſolum ante faciem noſtram per exempli ducatum graditur; ſed & à tergo nos contra ſpiritualia nequitiæ brachio non carneo tuetur. Legendus eſt Iuſtus Lipſius *in D. Virgine Hallenſi cap. 1. & 14.* Iacobus Pontanus *lib. 1. de Beata Virgine. qui eſt 4. Floridorum.* Ioannes Trithemius *lib. 1. de miraculis Beatæ Virginis in Dettelbach cap. 8. 9. 11. & lib. 1. de Miraculis Beatæ Virginis in Vrticeto cap. 9. & 10. & lib. 2. cap. 5. & lib. 3. in Præfatione*, à quibus *Patronæ* nomine Deipara compellatur. Sed et Maximilianus Sandeus edidit opuſculum prænotatum: *Maria Patrona* Moguntiæ impenſis Ioannis Theobaldi anno 1630. Huc etiam pertinent, quæ de eiuſdem clementiſſimæ Virginis protectione in ſibi deuotos fideles plures ſcribunt Doctores; eam propterea *Ciuitatem refugij: Turrim Dauid*, ex qua mille Clypei pendent; *murum igneum; murum protectionis; arborē frondoſam, & vmbroſam; columnā nubis; aquilā protectricem; vmbraculū ab æſtu,* & ſimilibus epithetis compellantes.

5 Vix poſſumus præ pia in Almæ Virginis deuotione carmina cuiuſdam nobilis Chriſtiani Poetæ deuotiſſimi ob egregiam ſtyli amœnitatem qua pollent, & in quibus ſub protectionis, & Patronatus Mariæ pallio Orbis Antiſtites, Reges, Dynaſtas, Principatus, & Poteſtates latere dicit, prætermittere, quæ talia ſunt.

Virgo

Virgo mihi auricomo ſtellarum, & ſolis amictu
Fulſit, Panhmæo fœmina viſa viro.
Alta coronatos Inſula collegerat crines;
Inſula non precio, quàm pietate minor.
Cætera quid memorem? frons marmore planior albo,
Mixta roſis formæ nix, niue miſta roſa.
Stelleus ex oculis hinc atque hinc Lucifer ibat,
Luciferi totidem nictus amœnus erant.
Virginis è labris Auroræ pulchra rubebat
Purpura, tam nullo Purpura digna loco.
Diuite gemmabant alabaſtrina colla monili
Pectora torquatus præradiabat honor.
Flaua per ambroſios ſcapularum efflorida colles
Cæſaries, humeris dulce fluebat onus;
Ex humeris, amplo ſinuoſa lacinia tractu
Pandebat latum Matris vtrinque latus.
Pallia dixiſsem, niſi Maieſtate vetarer
Palla fuit pompæ ſplendidioris opus.
Cyclada dixiſsem, ſed & hoc quoque nomine fallam
Palla ſuo claudit Regna, Duceſque ſinu.
Palla vagè explicitis operit mare, littora, terras
Flexibus, in tegete hac machina magna latet.
A mundo hoc tegitur muliebri Mundus; Aſylum
Veſte ſub hac, placidum plurimus Orbis habet.
Vidi hic Pontifices, vidi arrha, & murice claros
Supplicuo Myſtas procubuiſſe genu.
Hic ſolia, hic magnos vidi cum Cæſare Reges,
Hic ſtricto horribiles enſe latere Duces,
Inſula, Clauis, Acerra, Pedum, Diadema, Corona,
Purpura, Loricæ, malleus, occæ, ligo.
Omnia cum Dominis cultoribus inſtrumenta
Syntheſin hanc Tectum conſtituere ſuum.
Hæc domus, hoc culmen commune, hæc Porticus Orbis,
Publica. Quis veſtrum hanc Pallia iure vocet?
Aſtrorum pictura frequens variarat amictum
Quis veſtem hanc Cælum non magis eſſe putet?

Pallam omnem, & late ſpatiantia flumina telæ
Vna coercebat fibula: Gemma fuit.
Et puto Gemma fuit Carbunculus, arte notatus.
Aſpicio, & ſculptum; Virgo Patrona; lego.

6 Quidni? non ne ſub Patrocinio tantæ Matris Regna vigent? De Religioſiſsima Hiſpania (vt de quibuſdam loquar) id teſtantur Franciſcus Tarraſa *in Genealog. Regum Hiſpaniæ*, Ferreolus Locrius *in Maria Auguſta lib. 2. cap. 2.* affirmans in vexillis Regum contra Saracenos dimicantium haberi quod B. Virgo *Toletanæ Prouinciæ, & totius Hiſpaniæ ſemper Tutrix extitit, & Patrona.* Item plurimæ Eccleſiæ vetuſtiſsimæ à temporibus Apoſtolorum, vel propè ei nuncupatæ, præſertim Cæſarauguſtana adhuc viuenti, Toletana ab Elpidio vno ex Eliadibus Iacobi Apoſtoli diſcipulus, prout Annales noſtri oſtendunt; Montis Serratenſis, Guadalupenſis, & aliæ. Meritò proinde Locrius citatus: *Rectè ibi depoſita candida illa Veſtis, Beato Illefonſo Toletano Archiepiſcopo ab ipſa Virgine oblata; qua velut operta Hiſpania, iuge ſacrificium apud ſe nunquam feneſcere pateretur. Rectè inibi Beatæ Virginis à Beato Luca, vt fertur, effigiata Imago, & à Gregorio Pontif. Max. ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum tranſmiſſa; qua conſecutum, vt ipſius Virginis ex Iberica propaginis imaginatione pulchritudo, & voluntate amor ex mente memoria nunquam obliterarentur. Rectè & ibi Laſpidea illa Columna quam Regno Diua Mater intulit; quamque ſtantem & continuò prementis Virginis pede firmatam, non Mahumetanorum, non Saracenorum, non Maurorum, non quorumcumque deſperatiſſimæ colluuionis Barbarorum impetus deijciat, ac proſternat; ſed æternum ſibi ſecura perſtet, in catholicæ fidei perenne firmamentum.* Meritò proinde (nos dicere poſſumus) eadem deuotiſsima Hiſpania vltra communes Eccleſiæ Romanæ feſtiuitates, duas alias eidem prædulciſsimæ Virgini Matri, & *Patronæ* dicauit. Alteram *Expectationis* partus ipſius, quæ vocatur *Nueſtra Señora de la O.* 18. die Decembris, de qua Concilium decimum Toletanum, Ioannes Garſias, Franciſcus Maurolycus, Arnoldus Vvion, Breuiarium Benedictinum, Flos

San-

Sanctorum Hiſpaniæ, Theſaurus Concionatorum, Ioannes Bonifacius, & alij: quibus inhæret Georgius Coluenerius *in Calendar. Sacratiſſ. Virgin. pro illa die.* Alteram, *Deſcenſionis* eiuſdem Beatæ Mariæ in Eccleſiam Toletanam, de qua innumeri Auctores apud eundem Coluenerium die 24. Ianuarij.

7 Hanc quoque ſibi gloriam vendicat Hungariæ Regnum, Pannonia, & Dacia priſcis, quod Stephanus Rex Hungarorum non temerè Apoſtolus nuncupatus Mariæ cōſecrauit; vt propterea eam eius Regni *Patronam* prædicent Hungari baſilicis domi ſtructis, imaginibus pleriſq. aureis nummis incuſis, & alijs pluribus ſignis, Franciſcus Coſterus *in Præfat. lib. Sodalit. B. Virgin.* Locrius *ſupra cap. 4.* ex alijs. Belgium, eiſdem teſtibus. Italia, Germania, Gallia, & Anglia quoque apud eundem Locrium.

8 De vrbibus, & oppidis ſpecialiter eidem communi *Patronæ* conſecratis prolixiſsimè dici poſſet. Sufficiat ex primarijs referre, quæ hac gloria lætantur. Roma Orbis caput ſupra ſeptuaginta Aedibus Mariæ dicatis exornata; quæ, vt habet Ambroſius Nouidius *lib. 7. Faſtor.* ab ea audire meruit ſe pro illa noctuque diuque exorare,

Ex adytoque fuit hæc vox: non fundere ceſſo
Pro populo nato nocte, dieque preces.

Meſſana inclyta Trinacriæ ciuitas, quæ ab eadem Dei Matre Epiſtolam hanc clauſulam continentem: *Ipſam Ciuitatem benedicimus, cuius perpetuam Protectricem nos eſſe volumus.* Cæſaraugusta, quæ Deiparæ præſentia, Templo ipſi primitus dicato, pluribuſque ipſius monilibus gratiarum potitur; & de qua M. Marcus in Hymno hæc:

O Cæſarauguſtæ decus,
Et dulce patrocinium.

Conſtantinopolis noua Roma *Dei Genitrici* dicata, vt ait Nicephorus *lib. 8. cap. 26.* Lutetia, de qua *Abbo lib. 1. de obſeſſa à Normannis Lutetia* hoc habet:

Vrbs in honore micat Celſæ ſacrata Mariæ.

Sena, quæ ad hanc fidem numiſmata ſua tali ornat elogio:

Sena

Sena Vetus Ciuitas Virginis Antuerpia, Coſtero relato atteſtāte. Mariæ burgum, id eſt, Mariæ Oppidum in Pruſſia. Bononia, quam Ludouicus XI. ſolemniter pignorauit; Belforeſto *in Annalibus Franciæ* teſte. Sed quid de te, o Parthenope dicam? lugeam potius. Etſi namque Deiparæ patrocinio fultam agnoſcam, & millies te ſub clientela Virginis de Monte Carmeli, cuius celeberrima apud te Imago miraculis coruſcat innumeris, eſſe faſſa ſis; nunc tamen, proh dolor! eius quæ *Virgo fidelis* vocitatur, non præfers fidem, dum gremij tui filij (aliquot) Principi ſuo legitimo obſiſtunt.

9 Plura, quæ ſub alis Patronatus Mariæ vigent, ſilentes, non prætermittendos duximus Ordines, cùm militares, tùm Regulares eidem nuncupatos. Ex illis Teutonicorum; ſanctæ Mariæ Monteſæ; Annunciatorum, & Velleris Aurei, vt quidam autumant; maximè verò eorum militum, quos in Gallia, inſtante Henrico Quarto, Paulus Quintus ſub titulo, habitu, & Regula *Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo*, erexit, gratijs, & priuilegijs ornauit, ac Ordinationibus inſtituit, duplici dato diplomate *in 3. tom. Bullarij Laertij Cherubini*. Ex Regularibus (noſtrum Carmeliticum pro ſpecialiſsimo relinquentes) Ordinem S. Mariæ de Mercede, Seruorum eiuſdem Almæ Virginis, Annunciatarum Virginum, & Sanctiſsimæ Conceptionis. Alij præterea grauiſsimi Religioſorum Cœtus ſunt, qui etſi Marianæ nomenclaturæ non ſint, ad eiuſdem tamen Virginis honorem, & ſub eiuſdem Patronatu erecti prædicantur. Quales Ciſtertienſes, de quibus Cæſarius vir pietate, & antiquitate celebris *lib. 7. cap. vlt.* dixit Beatiſsimam Virginem cuidam extatico Aſcetæ hæc quondam protuliſſe: *Ita mihi dilecti, ac familiares ſunt hi qui de Ordine Ciſtertienſi ſunt, vt eos ſub vlnis meis foueam.* Præmonſtratenſes, qui Virgine præmonſtrante, & ſub eius auſpicijs inſtituti dicuntur. Prædicatores, de quibus ſanctus Antoninus *par. 3. tit. 23. cap. 3.* ſic: *Sciendum primò, quod Beata Virgo Maria procurauit Ordinem Prædiatorum, habitum dedit, & ſe protectricem eius oſtendit multipliciter, &c.* Ieſuitarum Societas, de qua Burgheſius in

Socie-

Societate Virgini ſacra cap. 1. inquit: *Societatem Ieſu ſanctiſſima quoque Dei Matris ſodalitatem cenſendam*. Et iterum: *Vna igitur eſt Filij, & Matris aula, vna familia Societas Ieſu, atque Sodalitas Mariæ*. De alijs Ordinibus, qui ſimilem Patronatum Marianum ſibi etiam competere piè geſtiunt, late Lorrius in Maria Auguſta *toto lib.* 3. Generaliter autem omnes ſub Religionis iugo animas Deo famulantes pro *Matre, & Protectrice* Mariam Virginē habere teſtata eſt Virgo Ecſtatica Beata Maria Magdalena de Pazzi in quodam Raptu quem habuit in die Aſcenſionis Chriſti, prout in ipſius vita *cap.* 80. refertur, his verbis. *Tre volte debbo dare lode particolare alla Vergine ſantiſſima, come madre, e prottetrice particolare di tutte l'anime religioſe*.

10 Hæc de generali Supereminentiſsimæ Virginis in cunctos Patronatu, ſeu protectione, maximè in ſibi deuotos, & addictos fideles, dicta; reſtat tamen de magis ſingulari ipſius Patrocinio in Carmeli Ordinis alumnos, ac ſodales ſpecialiora proferre rationum monumenta. Quæ pro alijs ſacris Religionibus, Congregationibus, & Sodalitatibus faciunt, doctiſsimis earum ſcriptoribus relinquentes.

Specialibus titulis eadem Sanctiſsima Virgo Carmelitici Ordinis Patrona dici debet. Cap. II.

1 VT ſpeciales titulos, quibus Dei benigniſsima Mater Patronatum Carmelitani Sodalitij poſsidet, aſsignemus præmittendum duximus, quòd Ius Patronatus Eccleſiaſticum, tam per Laicos, quàm per Clericos tribus potiſsimum modis acquiritur, *fundatione* ſcilicet, *conſtructione*, & *dotatione*. Vnde vulgaris ille verſiculus,

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Gloſſa *in cap. piæ mentis* 17. q. 7. Lambertin. *de Iurepatr. par.* 1. *lib.* 1.

*lib.*1. *q.*2. *art.*2. *num.*1. Paulus de Cittadinis *eodem tract. par.* 3. Roch. *verbo Eccleſiam fundauit*, & *verbo conſtruxit præcipuè*, *q.*4. *à num.*3. & *verb. dotauit*. Fuſch. *de Viſitat. lib.*2. *cap.* 10. Spino *in Specul. teſtam. gloſ.*4. *princip.* Flamin. *de reſignat. lib.*4. *q.*4. *n.* 40. *cum ſequentibus. Fundatione* acquiritur ab illo, qui fundum aſsignauit, vbi conſtrui deberet Eccleſia, *cap. nobis* & ibi Doctores *de Iurepart.* Iulianus Viuianus *in prax. Iuriſpatron. par.*1. *lib.*1. *cap.*1. *à num.*32. *Vbi num.*37. cum Cardinali *d. cap. nobis, num.*3. *oppoſit.*4. Deinde *Conſtructione* etiam acquiritur ab eo, qui facit expenſas in conſtruenda Eccleſia. Cardinalis *in d. c. nobis num.*6. 8. & 9. & *q.*9. *in princ.* Viuianus *ſupr. à num.*41. At verò *Dotatione* ab illo qui dotem, aut inſignia beneficia Eccleſiæ confert. Gloſſa *in Can. Piæ mentis* 16. *q.*7. Rochus *verb. dotauit, num.* 4. Viuian. *d.p.*1. *lib.*1. *cap.*1. *à num.*51. His ergo tribus modis (quadantenus ſcilicet, & ipſorum inſtar) Deiparam Virginem Sanctiſsimam Carmeli Sodalitij *Patronam* nuncupari debere in hoc Opere oſtendamus.

2 Quia ergo Iuriſpatronatus authoritas probari debet per authenticas ſcripturas, vt probat decretum ſacræ Congregationis, quod referunt Gonzales *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 18. *n.*79. Piaſechus *in prax. nou. Epiſcoporum cap.* 5. *n.* 5. Franciſ. Leo *in Theſ. Fori Eccleſiaſt.* & alij; vel per antiquiſsimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, prout cenſet Sacra Rota *deciſ.*211. *n.*1. apud Farin. *p.*1. *recent.* & *deciſ.*674. *n.*2. *p.*2. *recent.* ideſt, per tempus adminus centum annorum, vt habent Surd. *conſ.* 245. *n.* 24. Franc. Leo *in Theſau. p.*2. *cap.*21. *n.*5. Duench. *reg.*299. *n.*7. Menoch. *de arbitr. caſ.* 3. Maſcardus *de probat. concl.* 103. *à n.*1. Nam antiquum factum dicitur ſi excedat centum annos. Tiraq. *in l. ſi vnquam, verb. omnia, n.*31. Mench. *illuſt. cap.*84. *n.* 15. Auendan. *de exequendis mand. par.* 1. *cap.*6. *num.*6. Et præcipuè ex litteris inſtitutionalibus Antiſtitum, qui id atteſtentur; prout reſoluunt Paul. de Cittadin. *de Iurepatr. par.*6. *q.*37. *n.*3. Flamin. *de reſignat. lib.*8. *q.*11. *n.*38. Pute. *deciſ.* 162. *in princ. p.*1. & *deciſ.*142. *p.*2. Mari. Ant. *lib.*1. *var. reſol.*80. *n.*1. Ideò ex eiſ-

dem

Digitized by Google

dem capitibus; ſcilicet authenticis ſcripturis; antiquiſſimo temporis curſu; & litteris inſtitutionalibus Antiſtitum; Bullis videlicet, ſeu diplomatibus Summorum Pontificum, decretiſue Sedis Apoſtolicæ is Virginis Deiparæ patronatus à nobis fulciendus.

3 Cùm autem ſimiliter comprobari ſoleat Iuriſpatronatus auctoritas per inſignia, ſeu ſtemmata, vel Arma alicuius familiæ, in Eccleſia præſertim inſculpta, prout habent Imola *conſ.* 60. *num.* 1. Ripa *in ca. cum Eccleſia Sutrina num.* 93. *de cauſa poſſeſſ.* Lambertinus *de iure Patron. lib.* 39. *q.* 15. *in princip.* & cenſuit Rota *deciſ.* 518. *n.* 5. apud Farinac. *par.* 1. *recent.* & alia coram Coccino 5. Iulij 1604. *deciſ.* 201. ex Bartolo *in l. ſtigmata C. de fabric. lib.* 11. & *deciſ.* 230. ex Ancharano, Anan. & alijs. Vel ex denominatione Cappellæ, ſeu Eccleſiæ, vt etiam cenſuit Rota *deciſ.* 694. *num.* 6. *par.* 2. *recent.* & conſuluit Bald. *conſ.* 310. *ſub n.* 1. ſufficienter comprobetur; idcirco ex his etiam Capitibus huiuſmodi Patronatus Virginei in almam Carmeli familiam ius roborare conabimur.

4 Quia etiam (ſecundum aliquos ſaltem) ius quoq. patronatus ex certo ſubſidio alicui præſtito, accedentibus præſertim alijs iuris adminiculis, legitimè comprobatur, prout elicitur ex Mohed. *deciſ.* 10. *num.* 9. *de Iurepatr.* & Barboſ. *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 72. *num.* 46. Eo vel maximè quòd Patrono honor præcipuus debetur, cap. *nobis*, *de Iure Patron.* Doctores *ibid.* Paulus de Citadinis *p.* 6. & alij communiter dicentes Patronis deberi plures præeminentias titulo gratitudinis ob beneficia ab ipſis recepta. Ideo etiam hoc Iuſpatronatus Deiparæ ſanctiſsimæ in Carmeli alumnos ex ſpecialibus obſequijs, & ſeruitijs, quibus ipſi à primæua ſui fundatione vſq. ad præſens tempus eandem ſanctiſſimam Matrem venerari ſtuduerunt, idem intentum fulcire abs re non erit.

5 Demum quia conditiones appoſitæ à Patronis, ob cultum ſcilicet diuinum, ſui memoriam, vel alium honeſtum finem, obſeruari debent *l.* 1. *cap. de SS. Eccleſ. cap. vltim.*

volun-

Digitized by Google

voluntas 13.*q*.2. maximè ſi illæ conſenſu Antiſtitum appoſitæ fuerunt, *c. verum de condit. appoſit.* Panormitan. *cap. nobis num.*5. *de Iure Patron. & cap. cum dilectus num.*5. *de conſuetud.* & alij Doctores; ideo etiam in præſenti Opere perueſtigandum de illis conditionibus, quas ex Deiparæ ſanctiſsimæ voluntate, Summorumque Pontificum conſenſu, obſeruare debent, qui ſub eiuſdem ſanctiſsimæ Virginis patrocinio, Carmeli Montis vmbra, & ſacri Scapularis amictu degunt.

Quomodo titulo fundationis Ordinis competat Deiparæ Virgini eſſe ipſius Patronam. *Cap. III.*

1 Hìc hæreat forſan anceps lector dum audit Auguſtiſsimam Virginem à nobis dici Ordinis Carmelitici Patronam titulo fundationis ipſius. Quì enim veritati (inquiet) id cõgruè dicitur, cum ex Summorum Põtificum in ſuis Diplomatibus teſtimonijs, Eccleſiæ calculo, Patrum, Doctorum, Scriptorumque ſuffragantibus dictis, perpetuaque Religionis traditione, quam & de exteris plures venerantur, conſtet eius Ordinis incunabula ab Elia, Eliſeo, ac filijs Prophetarum primis inſtitutoribus emanaſſe? Vnde ergo locus, vt Virgini Deiparæ fundatricis titulus aptari poſſit? Sed quòd nodus iſte non Gordiano ſimilis, vmbratilis ſit, ac leuidenſis, facilè innoteſcet. Vtrumque verum; neutrum alteri diſſonum; exoſculantur ſe inuicem. Audiat æquus Iudex. Prophetici Ordinis primordia in Carmeli theatro Eliæ, & Eliadibus Prophetis accenſenda quis inficiabitur? Cum eo tamen congruit rectè, vt eius Ordinis fundatio Virgini Matri tribui iure debeat.

2. Primò ſanè, veluti cauſæ meritoriæ, ac morali, vt theologico vtamur argumento. Etenim ipſam ſupereminentiſſimam Virginem, propter ſummam fermè gratiæ

molem, quà Deo donata fuit; intimam coniunctionem cum ipſo, quam ipſius maternitas illi contulit; & (vt quibuſdam arridet Theologis) ob ſpecialem Dei ordinationem, & acceptationem; cauſa meritoria, ac moralis remota, de congruo tamen dici poteſt omnium, & ſingulorum operum bonorum, quæ à iuſtis, ſeu pijs hominibus, Patribus etiam antiqui fœderis, pro tempore effecta ſunt. Hoc enim indigitant epitheta à Patribus, & Doctoribus ipſi conceſſa. Etenim *collum Eccleſiæ nectens caput cum membris* Rich. à ſancto Laurentio *lib.2.p.107. & lib.5.p.366.* Amedeus *hom.2. de Laudibus Virgin.* & Gerſon *Tract.9. in Magnificat* eam vocant. Sanè, quia cum Chriſtus Eccleſiæ caput ſit gratiæ riuulos in membra influens; per Mariam (collum veluti, & pulchrius membrum Eccleſiæ) ij deriuentur. *Cauſam* etiam *vnionis omnium cum Deo*, hymnus Græcus apud Buteonem *p.130.* illam vocitat, indicans ſanè, opera quæcunque bona, quibus iuſti quadantenus cum Deo coniunguntur ab ea meritoriè procedere. *Aquæductum, qui plenitudinem fontis de corde Patris excipiens, ſtillicidia gratiæ arentibus cordibus infundit,* dici poſſe ex S. Bernardo *ſerm. de Natiuit. B.Virg.* Rich. à S. Lauren. 9. *p.* 527. Raym. Iord. *p.*14. *cap.*27. habetur. Quo ſimiliter exprimitur omne gratiarum genus à Patre luminum per Verbum carnem factum ſtillatum per Mariam transfuſum. *Officina* inſuper *immenſorum bonorum* à Diuo Damaſceno *Orat. 1. de Aſſumpt.* compellatur. Item *gratia gratiarum*, ſeu *mater gratiarum* à Ioanne Geometra *hymno 1. de Beata Virgine*; quæ etiam ad intentum deſeruiunt. Sicut & illud Germani Patriarchæ *Orat. de Zona* ſic loquentis: *Non eſt numerus tuorum beneficiorum; nullus enim eſt, qui ſaluus fiat niſi per te Virgo ſanctiſſima, non eſt, qui liberetur à malis, niſi per te ò puriſſima; nemo eſt cui donum concedatur niſi per te, ò caſtiſſima, nemo eſt, cui miſereatur gratia, niſi per te honeſtiſſima.* Et illud Diui Bernardi *ſerm.2. de Pentecoſte* vbi ſic: *Ad illam enim* (ſcilicet Virginem) *ſicut ad medium, ſicut arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt, & qui in Cœlo habitant, &*

qui

Digitized by Google

qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Et illud Ruperti Abbatis locum *Cantic.4. Emiſſiones tuæ Paradiſus* ſic explanantis: *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cæleſtium mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt.* Ac illud Petri Damiani *in ſerm. de Annunciat.* ſic loquentis: *De theſauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, ac per ipſam, cum ipſa, & in ipſa totum faciendum decernitur, vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Item & illud Diui Bernardini Senenſis *tom.3 ſerm.11. art.2. cap.3.* vbi ait: *Spiritus ſanctus oſtendit electis expreſſè, quod in hac Officina, ideſt in Beata Virgine, & per eam fabrefecit, quidquid in gratia mirificum operatur, & quod in hac totum ignem operationis recluſit, quem vnquam dare diſpoſuit creaturæ rationali.* Ac illud Gerſonis *ſuper Magnificat tract.9.* ad Virginem ſic loquentis: *Tu collum Eccleſiæ firmiſſimum, & candidum tanquam turris eburnea, & ſuauiſſimum quaſi vinum, tu connectis Eccleſiæ membra ſuo capiti Chriſto filio tuo, tu ſuſtentas, tu vitales hauſtus primæ ſuſcipis, & refluis, tu aſpiras, & reſpiras in Eccleſiæ corpus vniuerſum.* Maximè illud Ambroſij Spiera Taruiſini (quem alij Carmelitis annumerant, alij Seruitis) *in lib. ſerm. quadrag. de floribus ſapientiæ ſerm. 4. concl. 3.* vbi ſic: *Nulla gratia deſcendit de Cælis ad terras niſi per manus Mariæ.* Quod clarius exprimit ſubiungens: *Et vt breuiter ſingula comprehendam, nihil eſt tam in nouo quàm in veteri teſtamento humano generi condonatum, quod merito huius benedictæ nauis non ſit conceſſum.* Ex quibus hoc nobis argumentum deſumimus. Deipara Virgo meruit de congruo etiam Patribus antiquis gratiam illis à Deo conceſſam ad cuncta opera bona, eximia præſertim. Meruit ergo Eliæ Patriarchæ gratiæ auxilium, quo eximium illud opus inſtituendi Carmeli Religionem perfecit, ac proinde cauſa moralis, & meritoria, etſi remota, talis inſtitutionis eadem Deipara appellari debet.

3 Quod autem ſecũdum theologicum rigorem id affirmari poſſit, ex eo conijci datur, quod iuxta commune Theologorum placitũ, præſertim magni Coryphæi S. Tho-

mæ,

mæ, Bonauenturæ, Marſilij, & plurium recentiorum, ipſa promeruit non ſolum Incarnationis accelerationem, aut aliquas circumſtantias, ſed etiam maternitatem Chriſti; imo etiam, ſecundum Caietanum, Medinam, Suarez, Valentiam, & alios, ipſam ſubſtantiam Incarnationis; etſi non quoad intētionem, ſaltem quoad executionem. Quod ſi ita contigit, proculdubio quodāmodo cauſa Incarnationis dici debet: ac proinde etiam omnium donorum gratiæ, quæ Incarnationem Chriſti pro cauſa habuerunt; ac perconſequens item cauſa aliquo modo dici poterit eximij illius operis ab Elia patrati, dum in Carmelo Religionis primordia poſuit. Sicut enim ſi quis mereretur, quod dum Imperator in aliquam vrbem veniat, in ſuo hoſpitetur palatio, aut quod celerius veniat, merebitur quadantenus etiam ea priuilegia, quæ Imperator eidem vrbi conceſſerit; ſic & excelſiſſima Virgo, dum meruit eſſe Mater Dei, & eius in mundum aduentus accelerationem, cauſa etiam meritoria dici debet, etſi remota, eorum chariſmatum, ac donorum, quæ hominibus ex Chriſti Incarnatione prouenerunt.

4 Liceat ad intentum ſcrutari, quod inter epitheta à Patribus ſupereximiæ Dei Matri conceſſa vnum ſit illud, quod ex hymno Græco apud Buteonem *p.* 13. & Andrea Cretenſi *Orat.* 2. *de Aſſumpt.* refert Nomenclator Marianus *littera R.* ſcilicet: *Reſonantia Prophetarum*. Quamuis autem plura de eo nonnulli ſubtiliter dicant; genuinè tamen illius ſenſus eſt, ac ſi Maria diceretur *Echo Prophetarum*. Eſt enim *Echo* ſoni, vel vocis repercuſſio, quæ idem eſt, ac *Reſonantia*. Sed cur Dei Mater Prophetarum *Echo*, ſeu *Reſonantia* nuncupatur? Sanè ad intentum, quia eximia illa, & heroica opera priſcorum Prophetarum, quibus veluti vocibus, & ſoni inſonabant Verbi Incarnationem (quia ſcilicet propter Chriſti merita efficiebantur, ex fide Chriſti venturi proueniebant, & Chriſti excelſiora præfigurabant) ab vna ſola Dei Virgine Matre patrata veluti ſunt, dum gratiæ dona pro illis efficiēdis (cum meruit eſſe Mater

Digitized by Google

Chriſti à quo condignè promerita fuerunt) congruè promeruit. Heroicum ergo illud Eliæ Patriarchæ opus, quo Carmelum inſtituit eius Virginis etiam moraliter fuit. Quinimo Echonis analogiam proſequendo, quemadmodum Echo quandoque ſolet vocem multiplicatam reddere, vt in Turribus Cyzicenis, & Porticu Olympica, de quibus Plinius *lib.* 3. *cap.*45. & in illo prope Mediolanum palatio, de quo Dandinus 2. *anim. digreſſ.*44. ac in Aula Ticinenſi, de qua Maiolus *tom.*1. *colloq.*15. & aliis, de quibus Lucretius, cernitur; ſic & Deipara, ob maiorem gratiæ plenitudinem, qua cunctos Prophetas exceſſit, ipſorum voces, id eſt præclara geſta, numeroſiori concentu reddidit. Vt propterea non modò *Prophetiſſa*, vt eam Baſilius, Epiphanius, Ildefonſus, et alij compellant, ſed et *Prophetiſſa magna*, prout Rupertus *lib.* 1. *in Cantic.* ipſam vocat, inclamari poſſit.

5 Sed clarius, et expreſſius benigniſſimam Dei Matrem Carmeli Religionis Inſtitutricem, et fundatricem appellari debere, argumento Theologico, ac Philoſophico comprobari poteſt. Cauſam enim finalem, et exemplarem veras, et Philoſophicas cauſas eſſe ex Philoſophiæ Coryphæis Stagyrita, et Aquinate tota recepit ſchola. At puriſſimam Virginem Dei parentem finalem, & exemplarem cauſam Elianæ inſtitutionis, & Carmeliticæ fundationis fuiſſe compertum eſt: fatendum igitur, ipſam hunc Ordinem cum Elia fundaſſe, & inſtituiſſe. Vt autem ſubſumptum liqueſcat præmittat lector id, quod in Annalibus noſtris ſæpius oſtendimus, poſtquam videlicet feruentiſſimus Dei Propheta Elias de impijs ſacrificulis, & Pſeudoſacerdotibus Baalitis egregiam tulit victoriam, ipſos ad torrentem Ciſon, qui pene ad radices Montis Carmeli excurrit, interficiens, 3. *Reg.* 18. in verticem eiuſdem Montis aſcendiſſe, & pronum in terram faciem ſuam inter genua habentem ad puerum ſuum dixiſſe: *Aſcende, & proſpice contra mare* (eſt enim Carmelus ſupra mediterraneum) *qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quicquam, & rur-*

rurſum ait illi: Reuertere ſeptem vicibus. In ſeptima autem vice, ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Hāc enim paruulā nubeculam ſupergratioſiſſimæ Virginis Mariæ typum, & figuram fuiſſe certum eſſe debet. Id namque fatetur peruetuſtus Pater Ioannes Ieroſolymitanus *in lib. de Inſtitut. Monach. cap.* 32. Thomas Vvaldenſis *tom.* 3. *de Sacramentalibus tit.* 9. *cap.* 89. Arnoldus Boſtius *de Patronatu Virgin. cap.* 1. Thomas Beauxamis *in Harmonia Euangel. tom.* 2. *fol. nobis* 565. Ferdinandus Salazar *de Concept. Virgin. cap.* 38. Ioannes Carthagena 4. *tom. Homil. homil. pro Carmelitis* Petrus Saracenus *in Menolog. Carmelitarum in vit. ſancti Eliæ,* Hippolytus Marracius *in Fundatoribus Marianis cap.* 1. Petrus Oxeda Ieſuita *in Informatione pro illibat. Virgin. Concept. Fundam.* 1. Laurentius Chryſogonus Dalmata Ieſuita *in Mundo Mariano par.* 1. *diſcurſ.* 11. *num.* 18. *& ſequentibus*, id comprobans ex Ioanne Ieroſolymitano, & Chryſippo; quod & dicit *diſcuſ.* 17. *n.* 49. verbis inferius referendis communi Patrum aſſeueratione teneri, et plures alij, quos auctoritate ſuperat ſacra Congregatio Rituum, quæ in Officio Commemorationis ſolemnis Beatiſſimæ Virginis Mariȩ de Monte Carmeli nubeculam illam vocat *Virginis typo inſignem.* Cum ergo (iam ad intentum) Elias per myſticam illam nubeculam Dei parentem figurari præcognoſceret, ipſamque Virginitatem amplexuram ſimul præuideret, prout Ioannes Ieroſolymitanus relatus, & alij poſt ipſum conſtanter tradiderunt; virginitatis, & puritatis ipſius zelator ardentiſſimus, cœtum Prophetarum adunare decreuit, vt ad ipſius Virginis matris imitationem puritatem quoque, quatenus in veteri illa lege fieri poſſet, obſeruarent. Carmeli ergo propagines Prophetas Virgini eidem veluti ipſorum ideȩ, & exemplari dicauit, & propter ipſius honorem, & reuerentiam inſtituit. Ergo (ad rem propius) ſuperglorioſiſſima Dei Genitrix Virgo Carmeliticæ Inſtitutionis finalis, et exemplaris cauſa iure appellari debet. Ac perinde titulo Fundatricis, et Patronæ merito compellanda.

B 2 Rem

6 Rem hanc, etſi latius in noſtris Annalibus *ſub ann.mũdi* 4086.*n*.43.*&* 44.oſtẽderimus, nihilominus verbis plurium ex noſtris antiquis, & venerãdis Auctoribus, qui eam veluti per traditionem retinebant, confirmare libet, eò præſertim quod vnus ipſorum Bacconius referendus inquit: *Antiquis Patribus Ordinis de ortu eiuſdem tempore Prophetarum credendum eſt. Nam in negotijs Eccleſiarum illi potiſſimum in teſtes aſſumendi ſunt, qui eadem negotia tractauerunt.* 14. *quæſt.* 1. *Can. ſuper prudentiam.* Ergo ex ijs Ioannes iſte Bacconius inter Scholaſticos Doctores illuſtriſſimus *in Compendio hiſtoriarum, & iurium pro defenſione Ordinis*, quod incipit: *In primis attende*, ſic habet nullatenus prætermittendum: *Caput tuum, vt Carmelus, Cantic.*7. *Sed & hæc de Beata Maria canit Eccleſia: & quia per Carmelum honoratur, & commendatur; dignum eſt, quod in Carmelo ei dato Carmelitas habeat eam ſpecialiter venerantes, & ſic habuit ab antiquo.* Et infra: *Pro veneratione quoque Beatæ Mariæ in eius Carmelo continuanda, orta eſt Fratrum de Carmelo Religio.* Inferius quoque: *Fratres tamen de Carmelo tempore Eliæ, & Eliſei venturum venerantes in Carmelo Beatæ Mariæ Religionem ſuam inceperunt, vt habetur in hiſtoria de antiquitate Ordinis. Ad eius igitur venerationem originem habuerunt.* Accedit vir grauiſſimus Thomas Vvaldenſis, qui *tom.*3. *de Sacramentalibus tit.*9. *cap.*89. *num.*9. contra Vviclephum impiè latrantem, & Patronatum Virginis ſanctiſſimæ in Ordinem noſtrum canino dente mordentem, expreſsè ait, Eliam *ipſum inchoaſſe ad ſanctæ Virginis Patronatum*. Accinit Palæonydorus *lib.*2. *cap.*8. vbi primo dicit ex traditione Ordinis: *Super hæc tradiderunt nobis ſeniores noſtri, Mariam Virginem futuram Chriſti Matrem ab Elia primo, hinc ab Eliæ ſucceſſoribus ab illo edoctis electam fuiſſe in Patronam ſui, atque ſuorum poſterorum.* Deinde aſſignans rationes huius Patronatus: *Prima*, inquit, *propter propriam Ordinis Carmelitarum in laudem Virginis Mariæ inſtitutionem. Nam Elias eorum Monarcha in Monte Carmeli orationi incumbens, dum ſeptima vice de mari nubecula conſcenderet, ſeptima ætate Virginem naſciturã, & Filium Dei parituram intellexit. Ex tunc in virginitate ſua, & Eliſei, ac plurium filiorum Prophe-*

tarum

tarum ad honorem eiuſdem Virginis in Carmelo Religionem fundauit. Iſtud valde ad longum declarat Ioannes 44. *Epiſcopus Ieroſolymitanus. Sic ergo Elias ad naſcituræ Virginis, & Deum pariture honorem primordialiter Ordinem prędictum in Monte Carmeli locauit. Secundò pro ſe & ſuis in Patronam ſuę Religionis elegit.* Et infra: *Vt ergo Virgo Maria in mundo nata gauderet, & honoraretur de ſua propria, & ſingulari Religione, Elias ſuam Religionem in eius honorem inſtituit.* Multa ibi ad intentum, quæ amplectitur. Thomas Bauxamis *in Harmon. Euangel. tom.*2.*fol.*565. Et ante ipſum Arnoldus Boſtius in ſuo *de Patronatu Virginis libro cap.*1. ſic eam piè inuocans: *Mane igitur nobiſcum, ò Domina noſtra Maria, refugium tuo petimus in gremio, decet matrem ſtare cum filijs, magiſtram cum diſcipulis, Abbatiſſam cum ſubditis, Dominam cum ſeruuilis demorari: cuius humilitas gratiam, gratia gloriam; gloria dignitatem, dignitas pręcelſam beatitudinem comparauit. Cui ſanctus Pater Elias ſe, ſuoſque dicauit, quę Carmeli totam propaginem à ſtirpe tuis meritis ſuperegregijs ornas, & nobilitas.*

Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus vua
Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis
tu decus omne tuis.
Flos redolens, & oliua virens, genimenque venuſtum
Virtutum ſpeculum clara lucerna poli es.
Tu altrum mundi Virgo pretioſa talentum,
Ac aliud pretium proſperitatis ades.

Dixerat autem in præcedentibus: *ò Mater feliciſſima, quam hactenus expectauimus, quę Ordinem noſtrum inſtituiſti, ordinaſti, & perfectiſſimè tenes, omnes tibi ſolo tenus proſtrati gratias agimus, ò Carmelitani Collegij ſemper colenda Parens prima.* Deinde *cap.*2. ſic rem proſequitur: *Hic itaque Elias in exercitatione diſciplinæ diſtrictus, in laboribus fortis, & in ſancta meditatione aſſiduus; quoniam prophetico iam ſpiritu Redemptorem mundi naſciturum conſpicabatur de puriſſima Virgine omnium gratiarum plenitudine, virtutum, donorum, fructuum, beatitudinum, ac meritorum omnium multiplicitate ornanda, & ſuperimplenda; myſtici corporis ſui membrum pręglorioſum, imo, & ca-*

pitale futura, & conſocia gloriæ, ſeu plenitudinis gratiæ capitis Chriſti (vt ſicuti ipſe Dominus noſter, ſic & ipſa Domina noſtra in magnificę dominationis conſortium ab eodem aſſumpta per Orbem prædicaretur, & eſſet) anhela trahens in longinquum ſuſpiria, totum ſe transfudit in amorem tam ſuperexaltandæ Virginis, & ad exemplum eius, quaſi ad ſigilli ſpiritualis imaginem Eliſæum, Michęam Moraſtiten, Abdiam, Ionam, ac cęteros quos aduocauerat (quorum & virtutibus tanquam quibuſdam ſtellis canonicæ micant hiſtoriæ) ſecum tanquam Mariæ pręcurſores continentiam virginitatis edocebat. Vnde ſui, & noſtri capitis intentum ſic concludit poſtea: *Eapropter legiſlatrix Eliæ Maria; & totius Carmeli Cœtus legiſlatrix, fundatrixque primaria ritè dicitur.* Quod & alij moderni tum de exteris, tum de noſtris vno ore recipiunt. Inter quos non omittendus vir ſingularis doctrinæ Petrus Vvaſtelius *in Vindic. libri Ioannis Ieroſolymitani de Inſtit. prim. Monachorum art.4. §.5.* Vvaldenſi noſtro Vvicleffi expugnatori celeberrimo adhærens.

7 Sed de exteris ſpecialiora aliqua, ne ea lector deſideret, hìc apponimus. Et primò, Summi Pontificis Sixti IV. verba in Bulla *Dum attenta* anno 1476. edita & quæ eſt noſtri Ordinis Maremagnum. *Dum attenta meditatione penſamus, quòd virga venuſtiſſima, & omnium virtutum floribus inſignita Virgo Dei Genitrix glorioſiſſima, cuius plenitudinem Sol, & Luna mirantur, cuiuſque precibus iuuatur populus Chriſtianus, & quæ florem pretioſiſſimum, & immarceſcibilem, & æternum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ineffabili ſancti Spiritus cooperante virtute genuit; produxitque ſacrum Ordinem Beatę Marię de Monte Carmeli.* Quibus poſterioribus verbis venuſtiſſimam Virginem Ordinem Carmeli produxiſſe demonſtrat. Idem clarè exprimit Gregorius Decimustertius in Bull. *Vt laudes* Romę 18. Septembr. 1577. illis verbis: *Sacrum Ordinem ſub inuocatione eiuſdem Beatę Marię de Monte Carmelo, quem eadem Virgo venuſtiſſima, & omnibus virtutum floribus inſignita edidit, proprijque nominis titulò inſigniuit.* Idem quoque indicat celebris ille auctor, prophetiæ quoque titulo inſignis, Abbas Ioachimus, qui *in Commentarijs ſuper Apocal.* Ordinem quendam, quem

modo

Digitized by Google

modo *virginalem*; modo *monaſticum*, modo *eremiticum*, aut *contemplatiuũ* appellat, ſæpius inculcat, extollit, commendat. Hunc ergo Ordinem illum eũdem eſſe, qui ab Elia, & Prophetis initiũ ſumpſit; modoq. ſub Carmeli nomine in ſeculo viget, paucis, lectore iudice, oſtendimus. Primo etenim, illum *quartum in numero Sanctorum Ordinum* vocat, vt videre licet circa illud *Apocalyp.2. & Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe*. Quartum verò locum inter Mendicantium ſanctos Ordines Carmeliticum (etſi iure antiquitatis primum) tenere, omnibus compertum. Ad hæc ſecundò, hunc Ordinem *quarto tempore Eccleſię claruiſſe* affirmat ibidem. Quod autem ſit quartum tempus Eccleſiæ, explicat in principio quartæ partis libri, fuiſſe tempus Eliæ, Eliſei, & Diſcipulorum. Dicit enim: *Quarta mundi ætate claruerunt in Iſrael Elias, Eliſeus, & filij Prophetarum*. Et C.2. circa illud: *Habeo aduerſum te pauca; quia permittis mulierem Iezabel*. Sic habet: *In tempore ſigilli quarti, quo Elias, & Eliſeus claruerunt in Iſrael, & filij Prophetarum in Ierico, & Bethel &c.* Et rurſus: *Eodem tempore apertionis quartæ inuentæ ſunt reliquię in populo Græcorum, & viri probatiſſimi habitatores eremi; quorum alij, qui in imitatione Elię ante præceſſerant, omnino iam areſcere incipiebant. Alij verò qui ſucceſſerant in imitatione Eliſei cœperunt fieri Patres Monachorum, & Virginum, quorum imitatio vſque ad Latinos peruenit*. Ac tandem infra circa illud: *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem*, ſic inquit: *Liquet quod in quarta ætate ſeculi reuelatus eſt Elias*. Cum igitur Eliæ, Eliſei, & Prophetarum tempore, nullus niſi Carmelitanus Ordo extiterit, cuius ipſi Principes fuerunt, abſdubiè intelligi datur ipſum eſſe, de quo Ioachimus in præſenti ſermonem habet. Hunc etiam Ordinem *Virginalem* appellat loco citato circa illud: *Et Angelo Thyatirę Eccleſię &c.* quod quaſi explicans inferius dicit: *Quoniam à Virgine Matre Chriſti inchoatus eſt*. Et inferius circa illud *cap.3. Et Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe*, ſic habet: *Eccleſia contemplantium deſignata in Matre Domini Maria ab ipſaglorioſa Virgine inchoata eſt. Vnde & nonnulli Monachorum in omnibus Cœnobijs ſuis eius ſacrum vocabulum generaliter aſſumpſiſſe noſcuntur, vt ſe ad*

Digitized by Google

illam Eccleſiam pertinere demonſtrent, quam ipſa Mater Dei ſacra Virgo deſignat. Quibus quaſi indice manus Carmeliticam indicat, quæ in maxima ſaltem parte Cœnobiorum titulum Mariæ Virginis conſeruat. Ac proinde, iuxta intentum noſtrum, eam quadantenus produxiſſe haud obſcurè indigitat. Quod & Honuphrius Maneſcal. *tom. 1. Concion. in Concion. B.V. Mar. de Monte Carmeli* clarè expreſſit dicens de eadem ſanctiſſima Virgine: *Hanc Religionem tanquam filiam produxit, & edidit, vt loquuntur Summi Pontifices.* Idem neotericus auctor Laurentius Chyſogonus *in ſuo Mundo Mariano* ſæpius inculcat. Etenim *diſcurſ. 22. num. 138.* hæc habet: *Verè ſacra Religiones omnes, ac præſertim illa quarum Auctrix, ac fundatrix eſt Deipara, quales ſunt ſacer Ordo Carmelitanus, Ciſtercienſis, Seruorum Beata Virginis, alijque, quorum Diſcurſ. 18. meminimus, ſunt amœniſſimi Paradiſi, & cęleſtis Regis, ac Regina Viridaria.* Et *Diſcurſ. 17. num. 47. & ſeqq.* conformiter ad mentem Diui Gregorij Nyſſeni *hom. 9. in Cantic.* exponentis illud, *Emiſſiones tua Paradiſus malorum punicorum* de viris religioſis inquit: *Inter hos Religioſorum Ordines primum, ac præcipuum in Eccleſia Viridario, manu ſacroſancta Virginis Deipara conſitos, merito numerandam cenſuerim ſanctam, ac venerabilem Patrum Carmelitanorũ Religionem, quam ſicut ipſa Virgo plantauit, ſic eam peculiari ſemper pietatis, beneuolentiæque affectu proſecuta eſt.* Vnde ibidem *n. 49.* poſtquam Sixti Quarti, & Gregorij Decimitertij verba à nobis relata, quibus venuſtiſsimam Virginem Mariam Carmeliticum Ordinem produxiſſe, ſeu edidiſſe exprimunt, attuliſſet, ſubiungit ſatis aptè: *Nec refert quod ſanctus Elias Propheta huius Religionis perhibeatur fundator; hæc enim ille nomine Beata Virginis iecit fundamenta tunc cum in latere Montis Carmeli 3. Reg 18. V. 44. nubeculam paruam quaſi veſtigium hominis aſcendentem de mari, contemplatus eſt. Cum enim nubecula illa communi Patrum aſſeueratione Deipara typus eſſet, ac imago, diuina reuelatione ſine dubio intellexit illam Montem Carmelum peculialiter ſibi deſtinaſſe, velut futuri ſui Ordinis ſedem, dilectiſſimumque domicilium, imo hortum, ac Paradiſum ſuarum plantationum, quem ipſa velut fœcunda nubes diuina gratię imbribus,*

bus, plena, ac grauida irroraret, ac fœcundaret, & ab æſtu mundi, carniſque cupiditatum, nec non Satanæ impugnationibus, protegeret.

Qualiter titulus Conſtructionis ſuperbenigniſſimæ Dei Matri competat, vt Ordinis Patrona dici queat.
Cap. IV.

1 SI Patronatus in humanis, titulo *Conſtructionis* Eccleſiæ ei competit, qui illā proprijs expenſis ædificauit, iuxta dicta in ſuperioribus, abſdubiè competet etiam illi qui eam donauit, vel donari fecit. Vtriuſque enim eadem eſt vtilitas, idemque emolumentum. Dei ergo clementiſſimæ Parenti hunc titulum non defuiſſe, vt verè Eliani cœtus *Patrona* compellari poſſit, Ordinis hiſtoriæ abundè ſatis demonſtrant.

2 Et primò, celebris eſt illa, qua habetur primam eiuſdem Ordinis Eccleſiam, primāue domum poſt Carmeli originariam manſionem, fuiſſe Ieroſolymis iuxta portam eius ciuitatis *Auream* dictam: in qua videlicet dulciſſimæ Virginis parentes Ioachim, & Anna ipſam genuere. Ita enim tradunt ex Hiſtoricis noſtris non ſolùm Neoterici, qui numero plures ſunt, ſed & priſci, & vetuſtiores, & veluti magiſtri aliorum. Inter quos Ioannes Hildenſinus Beati Petri Thomæ diſcipulus quondam à trecentis fermè annis *in lib. de Princip. Ordin. Fratr. Beatę Marię de Monte Carmelo contra detractores cap.* 14. dixit: *Traditum tenemus à Patribus, quod primus Conuentus Ordinis poſt Montis Carmeli Collegium, fuit in loco, qui Porta aurea dicitur, in quo Ioachim, & Anna conuenerunt, & in illam coniunctionem conſenſerunt, ex qua glorioſa Virgo concepta fuit, & nata. Quaſi Beata Virgo diceret: ibi debent morari fratres mei, vbi primum tractatum eſt de Conceptione mea.* Expendat lector verba illa *Traditum tenemus à Patribus*. Audiat

diat & alia Balduini Loertij Atrebatenſis à ducentis fermè annis auctoris, qui *in Collect. Exemplorum, & miraculorum cap.* 1. hæc ſcripſit de ſuis Concarmelitis. *Alium Conuentum fecerunt in Porta aurea, vbi Beata Virgo fuit concepta. De hoc habetur in quadam Chronica Romana, vbi dicitur, tempore prædicationis Domini noſtri Ieſu Chriſti eremitæ de Monte Carmeli in Ieruſalem aceeſſerunt; quorum quidam anno ſeptimo à paſſione Domini regnante Romano Imperio vſque ad tempora Titi, & Veſpaſiani Imperatorum apud Ieruſalem in Porta aurea conſederunt religiosè viuendo.* Idem amplectuntur Ioannes de Vineta inter antiquos Patres huius Religionis hiſtoricus *in Tractatulo de Carmelitis,* Palæonydorus Batauus *lib.* 2. *c.* 1. Ioannes Balæus *in Tract. ſui Ordinis*, quem ante Apoſtaſiam edidit, Petrus Lucius Belga *in Compend. Hiſtor. Carmelit. cap.* 8. Et, quod magni ponderis eſt, Reuerendiſſimus Ordinis Generalis Ioannes Groſſus *in ſuo Viridario cap.* 1. licet error in verbis ipſius irrepſerit pro anno ſeptimo à paſſione Domini, quadrageſimum ſeptimum apponendo. Addit ex noſtris celebris, & vetuſtus Auctor Arnoldus Boſtius *in lib.* 5. *Hiſtor. cap.* 23. hoc Cœnobium poſtea tempore Conſtantini Magni ab eius pia parente Helena renouatum fuiſſe. *Renouauit* (inquit) *Monaſterium Sanctorum virorum Carmelitarum Ieroſolymis in Porta Aurea ad honorem ſanctæ Annæ, vbi & corpora Sanctorum Ioachim, & Annæ inuenerat, & exaltarat 7. kalend. Auguſt.* Ex quibus pius lector nobiſcum concludat ſuperbenigniſſimam Matrē Mariam ſuis clientulis Eliæ poſteris, & Carmeli eremitis veluti delitioſiſſimis filijs hanc incomparabilem gratiam tribuere voluiſſe, vt ea domus, quæ eiuſdem habitatio fuerat, eos quoque reciperet. Ac proinde, quod eſt huius capitis intentum, ratione huius domus eiſdem collatæ dici poſſe verè ipſorum *Patrona*, vtpote quæ domum, ſeu Eccleſiam ipſis benigniſſima conceſſit. Supponunt autem huiuſmodi auctores Virginem puriſſimam natam fuiſſe Ieroſolymis, prout etiam colligitur ex Diuo Damaſceno 4. *de fide, cap.* 15. & *orat.* 1. *de Natiuitate* Petro Dorlaudo *in Vit. ſanctæ Annæ cap.* 5. Guillelmo Brandeſel, & Co-

toui-

touico *in ſuis Itinerarijs*, Adricomio *in deſcriptione Ieruſalem num.*37. Barradio *tom.*1. *lib.*6. *cap.*5. Ioanne Nouato *lib. de Eminentia Virginis cap.*4.*q.*2. & alijs.

3 Quia tamen probabilis valdè ſententia eſt ortam fuiſſe eandem præſanctiſſimam Virginem in ciuitate Nazareth, prout colligitur ex auctore Libelli *de Ortu Virginis* apud Hieronymum; Abulenſi, Mantuano noſtro, & alijs, quos in Annalibus noſtris retulimus, quibus iunge Antonium Sabellicum *Elegia* 4. *de Beata Maria*, Erhardum Vvinheim *in Sacrario Agrippin.* agentem de Eccleſia 27. Fulbertum Carnotenſem *ſerm.*1. *&* 2. *de Natiuitate Mariæ*, Hartmandum Schedel *in Chron. in fine quintæ ætatis*, Heribertum Roſvvedium *ad finem Martyrologij Adonis*, & Georgium Coluenerium *in Calendario ſacratiſſimæ Virginis pro die* 8. *Septembris*; ideò ſingulariſsimo eiuſdem Deiparæ in ſuos clientulos, Eliæ Prophetæ propagines, fauore, actum eſt, vt etiam ſacerrima illa domus Nazaretana, in qua, iuxta horum placitum, nata deſcribitur, ipſis quoque conceſſa fuerit, vt proinde titulus Patronatus Mariani in eoſdem ob domum illis conceſſam inconcuſsè ſubſiſtere valeat. Subindicant hoc Auctores priſci Ordinis noſtri, ſpecialiter Palæonydorus (quem Coria & alij ſequuntur) Etenim loquens de Monaſterijs antiquis à Religione noſtra obtentis à tempore, quo Helena Conſtantini mater innumeras fermè Eccleſias, & ædes ſacras in Terræ ſanctæ partibus conſtrui fecit *lib.*2.*cap.*4. inter eas refert Nazaretanum Cœnobium. Clariùs Arnoldus Boſtius *lib.*5. *operis hiſtorial. c.*23. inquit: *Ædificauit etiam Eccleſiam in Nazareth diſtantem à Monte Carmeli tribus milliaribus ob reuerentiam ſalutationis Angelicæ.* Sed clariùs Baptiſta Mantuanus noſter *in Lauretana Hiſtoria* ad Cardinalem de Ruuere Sixti IV. nepotem Ordinis Protectorem, & Epiſcopum Recanatenſem, vbi ſic cum ipſo loquens, & de re, quæ anno Chriſti 1489. ſub Innocentio Octauo Summo Pontifice contigerat. *Audiens Ordinis mei fratres* (*vt ex Ioann.*22. *litteris apparet*) *Beatiſsimæ Dei Genitricis titulo ſpecialiter inſignitos, & ſicut ex Decretal. lib.*6. *cap. de*

Reli-

Religioſ. domib. teſtimonium habetur, inter omnes Religionum Ordines antiquitate præſtare, habuiſſe item nos ab Elia, & Eliſeo in Monte Carmelo principium, & originem, vt auunculus tuus Sixtus litteris Apoſtolicis atteſtatur, & Patres, ac Anteceſſores noſtros viros ſanctiſſimos omnia ferè loca Terræ ſanctæ: inter quæ fuit huius ſacrę Virginis domicilium, olim tenuiſſe, ac religioſiſsimè gubernaſſe priuſquam Saracenis Dei iudicio darentur in prædam, hęc, inquam audiens, rem conuenientiſſimam, & operepretium exiſtimaſti, nos in antiquam reſtituere poſſeſſionem, & idcirco hoc anno, me Vicario ex Mantuana Congregatione, quæ, Deo aſpirante, de negligentiæ ſordibus, quibus penè totus Ordo noſter obruebatur emergens, inſtar antiquorum Patrum vitam, & mores nititur inſtituere; triginta viros approbatiſsimos in ipſa Eccleſia conſtituiſſe, qui in cordis munditie Deo ſeruientes, audiendis fidelium confeſſionibus, & diuinis Officijs vacent, ac omnium, quę ad diuinum cultum pertinent curam gerant. Quibus inceptis auctor, & conſeruator omnium Deus adiuuet, aſpiret, & faueat. Eam quoque hiſtoriam de exteris admittunt Horatius Turſelinus *in Lauretana lib.2. cap.5.* Octauius Pancirolus *in libro cui titulus* Teſori naſcoſti dell'alma Città di Roma, loquens de Eccleſia ſancti Iuliani ad trophæa Marij, & Georgius Coluenerius *in Kalendar. ſanctiſſimæ Virginis Mariæ* pro die decima Decembris; referens ex Pancirolo, quod ædicula Beatæ Virginis, quæ nunc eſt Laureti, per annos pluſquam mille fuerit ſub cura Carmelitarum in Galilæa, ideoque eiſdem attributam eſſe ab Innocentio Octauo, eamque per multos annos tenuiſſe; Ferreolus Locrius *in Maria Auguſta lib.4. c.41.* Subiungit Mantuanus, quod dum celebre miraculũ de cuiuſdam fœminæ nobilis ex Gallia à ſpiritibus immundis liberatione ibidem patraretur, Dæmonem, etſi mendaciorum patrem, actum exorciſmis hoc quoque inter cętera indicaſſe, *Sacram Virginis Lauretanam Cellam antequam Nazaretho excederet Carmelitanorum curæ commiſſam*, quod & approbant Turſilinus, *vt ſupra cap.17.* & Bzouius *ſub anno* 1489. *num.17.* Merito igitur proinde elicimus ſuperclementiſſimam Mariam etiam titulo Conſtructionis Carmeli *Patronam* dicendam,

quæ

quæ eius alumnis Ædem propriam donari voluit.

4 Releuat quoque intentum, quod eadem benigniſſima Virgo pro ſua eximia in Eliæ poſteros pietate, voluerit, vt prima Eccleſia, primumve ſacellum, ſeu Oratorium eidem Virgini nuncupatum, in Carmelo ab ipſis erigeretur; ex quo etiam quod titulo quoque conſtructionis Eccleſiæ eorum *Patrona* compellari poſſit, elici valet. Ea namque Eccleſiæ, ſacelli, ſeu Oratorij Carmeli conſtructio ipſius Sanctiſſimæ Theotocos patrocinio abſdubiè facta eſt. Carmelicolas porrò huiuſcemodi egregij operis adminiſtros extitiſſe pluribus comprobari poteſt. Et primò ſanè Eccleſiæ teſtimonio, quæ in Officio Commemorationis ſolemnis eiuſdem Deiparæ ſolemniſſimè quotannis celebratæ 16. Iulij à ſacra Rituum Congregatione approbato lectione 4. ſic habet de Eliæ poſteris: *Peculiari quodam affectu Beatiſſimam Virginem (cuius colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere) adeò venerari cœperunt, vt primi omnium in eo Montis Carmeli loco; vbi Elias olim aſcendentem nebulam Virginis typo inſignem conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini ſacellum conſtruxerint*. Quamuis autem huiuſmodi Eccleſiæ teſtimonium tantæ auctoritatis ſit ad rem, quam intendimus, firmandam, vt alijs adminiculis non egeat, nihiloſecius, vel pro ipſius maiori luce plures, & grauiſſimos Auctores tum de exteris, tum de domeſticis afferre libet, qui idem intentum de primaria Eccldſia, ſacello, ſeu Oratorio Deiparæ à Carmeli eremitis extructis comprobarunt. Hi ſunt de exteris Ioſephus Antiochenus *in Specul. perſ. Milit. primit. Eccleſ. cap.* 12. *&* 72. Armachanus Primas Hyberniæ apud Vvaldenſem *tom.* 3. *tit.* 9. *cap.* 89. Ioannes Trithemius Benedictinus Abbas *de laudib. Carmelitarum cap.* 7. Aſcenſiius Badius clariſſimi Poetæ Baptiſtæ Mantuani ſcholiaſtes *in lib.* 3. *Parthen.* Sebaſtianus Murrho alter eiuſdem Mantuani Gloſſator *ibidem*, & ex recentioribus Doctor Nauarrus *in Tractatu de horis Canon. cap.* 21. *num.* 27. Mantuani mentem eius carminibus relatis amplectens, Alphonſus Caſſarubius *in Compend. Priuil. Mendican.* dum de Ord. Carmelitar. Pau-

lus

lus Morigia *de Orig. Relig. lib.1. cap.30.* Baptiſta Confettius *de Priuil. Mendican.* dum de Ordine Carmel. Hieronymus Platus *de bono ſtatu Religioſ. lib.2. c.22.* Horatius Pancirolus *in lib. cui titulus Teſori dell'Alma Città di Roma*, dum agit de Eccleſia ſancti Iuliani, Carolus de Tapia *in Authentic. Ingreſſi ver. Monaſteria num. 2. & 3.* Emmanuel Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. q.2. art.5.* Ioannes Carthagena *tom.4. Homil. homil. pro Carmelit.* Aubertus Miræus *in Tract. de Orig. Carmel.* Thomas Ferrarius Ieſuatus *in Hiſtoria Imaginis Beatæ Virginis dela Guardia*. Miranda *in Man. Prælat. tom.1. q.4. art.7.* Alter Rodriguez *in Compend. Reſolut. 23.* Cornelius à Lapide *in Cantic. cap.7.* Petrus Caluus Dominicanus *in defenſ. Relig. lib.2. cap.13.* De noſtris autem, quamuis innumeri referri poſſent; primates tamen non prætermittendi. Hi ſunt Ioannes Ieroſolymitanus *lib. de Inſtit. Monach. c.36. aliàs 43.* Ioannes Bacco perilluſtris Doctor *in Compend. hiſtorial.* Ioannes de Malinis *in Specul. hiſtor. cap.5.* Ioannes de Cimineto *in Tractatulo Speculum Ordinis nuncupato, cap.4.* Bernardus Olerius *in Informatione ad Summum Pontificem*, Ioannes Groſſus Generalis *in ſuo Viridario clau. 1.* Baptiſta Mantuanus *lib.3. Parthenices, & in Apolog. pro Carmelitis*, Palæonydorus *lib. 2. cap.8.* & Martinus Italus apud ipſum, Ioannes Balæus *in Tractat. ſui Ordinis*, quem inter Catholicos, & ſub vexillo Romanæ Eccleſiæ edidit, & Arnoldus Boſtius *de Patron. Virgin. cap.4.* Qualiter autem huiuſmodi ſacellum, à quibus, & quo tempore inceptum, aut perfectum, in Annalibus noſtris latè oſtenditur.

5 In eo quoque laudes, & hymnos, ſacraſue preces Deo in ſibi ſupergratiſſimæ Virginis deuotionem conſueuiſſe canere eius æui Carmelicolas S. Congregatio Rituum in lectione 5. prærelati Officij Commemorationis ſolemnis eiuſdem Deiparæ ſic expreſſit: *Ad nouum ergo ſacellum ſæpe quotidiè conuenientes ritibus pijs, precationibus, ac laudibus Beatiſſimam Virginem, velut ſingularem Ordinis tutelam colebant.* Quod etiam amplectuntur Ioannes Ieroſolymitanus relatus, Ioannes de Vineta *in Tractatulo, qui incipit: Cum quidam fratres*

cap.3.

*cap.*3. Ioannes de Malinis *in Specul. Hiſtor. cap.*5. Baptiſta Mantuanus non ſolum *in Apolog. pro Carmel. ſed & lib.*3 *Parthenic.* illis Carminibus,

> *Propterea montana viri ſpelæa colentes*
> *Audito illius fato ſublime ſacellum*
> *Apricis poſuere iugis, atque quotannis*
> *Sacra inſtaurantes hymnos, & thura ferebant.*

Quæ Aſcenſius Badius, & Sebaſtianus Murrho eiuſdem Mantuani Commentatores ad intentum explicant de hymnis, & ſacris in eo ſacello ab Eremitis Carmeli celebratis, iuxta mentem aliorum plurium, de exteris etiam.

6 Ex quibus Thomas Ferrarius Bononienſis ex Ieſuatorum ſancti Hieronymi Religione *in libro de Imagine Beatiſs. Virginis* nuncupatæ *della Guardia*, quæ Bononiæ aſſeruatur *c.*1. non ſolum fatetur, quod dicimus, ſed vlterius etiam addit iconem Virginis, quam in eo ſacello Carmelitæ celebrabant eam eſſe, quæ temporis curſu Bononiam translata magna veneratione in inclyta illa ciuitate colitur. Eiuſdem verba Thuſco ſermone deſcripta ſunt hæc: *Se Vogliamo preſtare in queſto luogo piena credenza all'etimologia à lei communemente attribuita, che Bononia dir voglia, Omnia bona, certoche all'hora hebbe la verità compito luogo, quando dico vi entrò il deuoto sembiante di Maria Vergine. Perche eſſendo lei fonte di gratie non reſtò dall'hora in qua d'irrigare ſopra Bologna ogni bontà, e fauore. Per eſſer quell'iſteſſa ſanta inmagine, che fu con gran zelo, e diuotione adorata da quei primi Padri del Monte Carmelo nel primo ſuo Oratorio, eretto, e conſecrato ad honore di Maria Vergine poco dopo la ſua Aſcenſione in Cielo ſino al tempo de' Santi Apoſtoli*. Et infra: *Eſſendo fatti i Carmelitani ſtudioſi, e diuoti di eſſa Madre di Dio fra le altre coſe degne di lode furono Cuſtodi di queſta noſtra immagine ſanta*. Habeatur ergo, ex dictis aptè comprobari Virginitatis Primiceriam Mariam merito eius Ordinis *Patronam* compellari, cui talia dona concedere dignata eſt.

7 Intentum quoque promouet, quòd toti Orbi celeberri-

berrima, Matrixque Eccleſia, ſeu Baſilica Toletana Hiſpaniarum Primatis ſedes præclariſſima eidem Deiparæ Auguſtiſſimæ à ſancto Elpidio primo eiuſdem Eccleſiæ Antiſtite, ſancti Iacobi Apoſtoli diſcipulo, & ex Carmeli Therapeutis aſſumpto dedicata fuit, prout in noſtris Annalibus latè oſtenditur. Cum enim id Virginis ope & patrocinio proculdubio geſtũ ſit, ſcite colligitur hoc etiam titulo eandem ſupereminentiſſimam Virginem Ordinis *Patronatu* fulgere, quæ tam inclytæ Baſilicæ à Carmeli filijs erectæ titularis mater eſt. Quamuis autem huius hiſtoriæ veritas in eiſdem Annalibus comprobetur ex ijs, quæ ibi adducuntur; aliqua in præſenti eruere libet. Ea porrò ſunt quæ Luitprandus in Fragmentis num. 11. ſic ſcripſit: *Anno Domini* 302. *Conſtantio Cloro, & Galerio Maximino Cæſaribus, Conſulatu quarto, die* 3. *Aprilis die Veneris ſanctæ Paſſionis Domini per totum Orbem, & anno* 16. *Melantij Toletani Pontificis ijſdem Coſs. menſe, & die diruta eſt Eccleſia Toletana Beatæ Mariæ Virginis Aſſumptioni à ſancto Elpidio erecta.* Et Iulianus Petri Archipresbyter Toletanus *in ſuis Aduerſarijs num.* 274. ſic dicens: *Baſilica Beatæ Mariæ Virginis, quæ viuenti primùm ædificata eſt à ſancto Pontifice Elpidio tempore Diocletiani anno* 303. *edicto publico Diocletiani, præſente P. Daciano Præſide, vigeſima Martij æquata ſolo.* Hunc porrò Elpidium tam egregij operis Deiparæ adminiſtrum ex Carmeli Anachoretis fuiſſe, in eiſdem Annalibus, maximè ex Luitprandi Fragmentis *num.* 100. *&* 101. comprobatur.

8 Nec prætermittendum ad noſtrum intentum de Patronatu ſingulari gratioſiſſimæ Virginis in ſuos clientulos Carmelæos, quadantenus fulciri, ex eo quod eadem munificentiſſima Mater, nedum voluerit alumnos propria, & natiua domo cohoneſtare, ſed & ipſis quoque alia eidem conſecrata, & titulo eius inſignita loca miſericordioſiſſima Virgo largiri non renuerit. Audiat lector huius noſtræ piæ meditationis fulcra. Eſt in Ægypto inter montem Nitriæ, & Alexandriæ vrbem lacus quidam, ſeu ſtagnus aquarum eiuſdem clementiſſimæ titulo vocatus *Maria.*

Prout

Proût habent Palladius *lib.*8. *Vitar. Patr.cap.*7. Ruffinus *in* 2. *Vit. Patr. in Epilogo* & Heraclides *in Parad. cap.*2. qui etiam quod talis lacus per ſeptuaginta millium ſpatia protēditur. Adiacet deſertis Scythiæ, Nitriæ, & Thebaidis, vt notat nobilis Gallus auctor libri, cui titulus: *Les Eſtats, Empires, Royaumes, & Principateuz du monde in Tract. de Origin. Religion.* Eſt autem locus aptiſſimus ob aëris temperiem, auræ ex alto ſpirantis tenuitatem, & temperamentum ſaluberrimum, prout expreſsè antiquiſſimus Philo Hebræorum Apollo *in lib. de Vita Contemplat.* verbis referendis deſcripſit. Circa hunc ergo lacum, vel ſolo Mariæ titulo celeberrimum, manſionem habuerunt primi illi Eſſeni Marci Euangeliſtæ diſcipuli, quos Chriſtianos monachos, & Eliæ diſciplinæ alumnos, imo monaſticæ perfectionis poſt Apoſtolos anteſignanos, & duces Annaliſtæ noſtri, & exteri auctores plerique confirmant. De hoc ergo loco ſic Philo relatus: *Maximè tamen in Aegypto frequentatur per præfecturas ſingulas, præſertim circum Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quiſque Therapeutarum tanquam in huius generis patriam colonus mittitur in locum quendam aptiſſimum ſitum ad ſtagnum* Mariam *in terreno colle accliui leniter tantum ſimul, & laudatum ab aeris temperie. Securitatem enim ei præſtant villæ, vicique proximi; aerem verò temperat emiſſorium ſtagni exonerantis ſe in mare, & auræ nunquam non ex alto aſpirantes tenuiter, ſicut craſſiores feruntur è ſtagno, quibus præmixtis temperamentum exiſtit ſaluberrimum.* Circa hunc etiam locum poſteriores monachi Eſſeni, & Eliani inſtituti propagatores monaſteria ſua habuerunt, Alexandriæ vicina, & in Monte Nitriæ, qui huic ſtagno adiacet, & in quo ab Ammone primo Nitriote Anachoreta Arſiſius, Serapion, Paphnutius, & alij plures id accepere, vt ex Palladio, & Heraclide habetur. Cauſa porrò cur lacus iſte *Mariæ* nuncupetur, vt congruè ſuſpicati ſumus in noſtris Annalibus, ea fuit quod ſuperſacratiſſima Virgo cum tenello infantulo Ægytum fugiens *Matth.*2. loca iſta luſtrauerit, ſicut de Hermopoli, Memphi, Babylone, Eliopoli, Thebe, & alijs coniectantur Aucto-

Digitized by Google

res, quos *ibi* retulimus. Iubilet ergo Elietana Religio dum lacum *Mariam* nuncupatum veluti maternam hæreditatem poſſidet, vt ex hoc etiam tituluscreſcat Patronatus Deiparę in ipſam.

Qualiter titulo dotationis competat liberaliſſimæ Dei Parenti Patronatus in Carmeli alumnos. Cap. V.

1 CVM dotatio ſit veluti donatio, & quædam donationis ſpecies, & id quod donatur dotis quoque nomine appelletur, vt propterea naturæ dona dotes etiam compellentur, dicente Martiali lib. 13.

Nec poteris ſimilæ dotes numerare, nec vſus,

Et Ouidio 3. de Triſtib.

Nam tibi cum facilis mores natura pudicos
Et raras dotes, ingeniumque dedit,

Idcirco vt probetur ſuperpijſſimam Verbi Diuini Genitricem titulo quoque dotationis **Patronatu** in Carmeli Coetum potiri, expediens erit ex copioſiſſimis donis, quibus hanc familiam decorare dignata eſt, aliqua recenſere. Multis autem eum cumulaſſe donis S. Congregatio Rituum in Officio ſolemnis Commemorationis eiuſdem clarè dixit illis verbis: *Tot ergo, tantiſque beneficijs Ordo cumulatus, &c.*

2 Primum, & egregium valde illud eſt, vt Carmelicolas noſtros Fratres ipſius, *Fratres* nempe *Beatæ Mariæ de Monte Carmeli*, appellari voluerit. Quid enim magis egregiũ, quid ſublimius? Liceat hìc nobis tibi, optime lector, cum Chryſoſt. *hom.* 21. *in Geneſ.* inculcare: *Vidiſti appellationem diademate clariorem? purpura meliorem? quid fuerit illo beatius, qui inuocatione Dei ornatur, eumque pro nomine poſſidet?* Dicas & tu: *Quid fuerit illo beatius, qui inuocatione Matris Dei ornatur, eamque pro nomine poſſidet?* Gloriantur & meritò præclariſ-

clariſſimi, & in Orbe Chriſtiano præfulgentiſſimi Prædicatorum Ordinis alumni, quod in principio ſuæ inſtitutionis, *Fratres Virginis Mariæ* dicerentur, vt habent ſanctus Antoninus 3. *par. hiſtor. tit.* 23. *cap.* 3. *§.* 1. *in fine*, Epiſcopus Monopolitanus *lib.* 1. *de Roſario cap.* 7. Antonius Senenſis *in Chronic. pag.* 27. Hyacinthus Choquettius *in lib. cui titulus* Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viſcera materna *cap.* 6. & alij. Glorientur & noſtri quòd nedum ab infantia, ſed & per ſecula hoc glorioſo titulo cognominati fuerint. Eò vel maximè, quod ab eadem ſuperclementiſſima Matre Maria hunc titulum recepere. Teſtatur id Eccleſia, quæ in Officio Commemorationis relato lectione quinta de hoc præclariſſimo titulo loquens ab eadem Deipara conceſſum declarat, dicens: *Nec verò nomenclaturam tantùm magnificentiſſima Virgo tribuit*. Ergo ipſam nomenclaturam tribuit. Teſtatur & id Trithemius Benedictinus clariſſimus, qui in ſuo *de laudibus Carmelitarum libro* 1. *cap.* 1. ſic ſcripſit: *Cur inuides Fratribus Carmelitis Ordinis ſui titulum, quem eis contulit Regina Cælorum? Enimuero ſi Domina mundi ſe Carmelitis ſororem exhibere voluit, quis ei contradicere poteſt? An non licet ei, quod vult facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ipſa bona eſt? Noli turbari, noli iraſci, noli frendere dentibus: nemo Reginam Cæli prohibere poteſt quominus Carmelitas ſuos Fratres appellet, & filios. Non friuola loquor, non falſa, cum Summi Pontifices Romani Petri Succeſſores, Carmelitas non aliter appellare conſueuerint, quam Fratres Dei Genitricis.* Vnde propterea idem Trithemius *in Præfatione ad eum librum* ſic quoque ſcripſit: *Magnam huius Ordinis Inſtitutio laudem promeruit, quam Regina Cæli ſuo vocabulo inſigniuit. O verè beata vnio, quæ tantæ Parentis munita præſidio in æternum firma conſiſtit! Sub Dei Matris protectione Carmeliticus Ordo quieſcit, & idcirco nulla vnquam aduerſa formidabit. Gaude decus Carmeli: te Mundi Saluator ob Matris honorem diligit: te Domina Mundi Virgo Maria, vt oculi pupillam cuſtodit: te ſupernæ Patriæ ciues colunt, amant, & laudant: nomen. & honorem Imperatricis ſuæ in te ſedulo venerantes. Recti quoque diligunt te, memores pulchritudinis tuæ.*

Te nemo veraciter diligit niſi bonus ; nemo inſtitutionem tuam odio habet niſi perverſus . Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Euangelij pacis , quam venuſta facies , quàm elegans forma , quàm decorus aſpectus ! Beati cultores tui , qui ambulant in ſemitis veritatis , qui contemptis mundi rebus , tua præcepta deuota ſynceritate cuſtodiunt . Maior es, ò Carmeli ſacrata Religio,quàm vt verbis meis valeas prædicari . Silere à tuis laudibus non valeo , quoniam quod virium negat infirmitas , charitas ſubminiſtrat . Ex hac autem Fratrum Beatiſſimæ Virginis nomenclatura ipſos eam in ſpecialem tutelarem , ſeu Patronam habere non obſcurè elicere poſſumus. Notum enim apud peritos id eſt , vt nomina rei euentui accommodari ſoleant , itaut nomina , quaſi *omina* ſint veritatis. Id ita eſſe patet in nomine Adam, Eua , Seth, Cain , Noè , Abraham, Iſmael, Iſaac, & Iacob , vt apud ſacræ paginæ curioſos explanatores facilè reperitur . Id ipſum imitati ſunt Romani, Græci, Germani. Romani, qui Coruinum à Coruo qui ei in caſtris victoriæ omen dedit. Cæſarem à cæſarie, cum qua natus proditur. Caligulam à caliga militari, qua ſæpe vtebatur, appellarunt. Sic Piſones, quod optime piſa ſererent, ita nuncupati ſunt : ſicut Cicerones à cicere , Fabij à faba, Lentuli à lente optime ſerenda nomen acceperunt. Sic Ancus à vitioſo cubito (inquit Feſtus) nominatus eſt , cubitus enim Græcè *ancos* dicitur. Sic Seruius , quod è matre ſerua genitus eſſet. Paulus à parua ſtatura. Torquatus à torque , quem Gallo in pugna detraxit. Fratrum ergo Beatæ Mariæ nomenclatura magnum aliquid ſubindigitat, Patronatum proculdubio , ſeu tutelarem protectionem eiuſdem id ipſos.Hinc in Iure Ciuili alterius nomen geſtātes priuilegijs ab ipſo decorati. Vt propterea Auguſtus Cæſar (Suetonio teſte) hac de cauſa ingentem pecuniam Tiberio, & Liuiæ legauerit. Quin ex eo quod talis cognominis eadem auguſtiſſima Virgo, vt dictum eſt, nomenclatrix extiterit, appoſitè elici valet ipſam eorundem Matrem agnoſci voluiſſe. Matris namque proprium eſt nomina filijs imponere, prout innumera Sacræ Paginæ teſtimonia,

pro-

prophanæ litteraturæ monumenta, & communis experientia clamitant. Plaudat ergo Carmeli Religio, & hunc tutelarem Patronatum Mariæ agnoſcens dicat illud Pſal. 22. *Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.* Et ipſa munificentiſſima Patrona illud Actor. 9. *Vas electionis eſt mihi iſte vt portet nomen meum coram gentibus.*

3 Ipſiſſimam præterea Dei Genitricem veluti proprio dulciſluo ore loquentem hunc titulum approbare voluiſſe ex per antiqua Ordinis hiſtoria ſic damus pio lectori. *In Anglia, in Ciuitate nomine Ceſtria erat monaſterium Fratrum Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Quo nomine quidam ſeculares offenſi, verbis iniurioſis obloquebantur, dicentes hoc nomine indignos. Sed puniti ſunt; nam multi eorum ſubitò morientes ſe ſacrilegos appellabant, & ideo mori: quare Abbas Monaſterij ſancti Bamburgi dominus temporalis, & ſpiritualis Ciuitatis, ordinauit fieri ſolemnem proceſſionem; tunc, cum tranſiret proceſſio, & Carmelitæ tranſirent ante quandam ligneam imaginem appenſam prope ſepulchrum V. Godeſtaldi nobilis Eremitæ, & imagini inclinantes, dicebant plerique* Aue Maria: *ò miraculum! Lignea imago eos capite inclinato ſalutat, & digito extenſo ter dicit alta voce:* Ecce ſunt fratres mei, *& tertia vice:* Ecce ſunt, *inquit*, fratres mei, qui viderit vnum ex eis, viderit vnum ex fratribus meis. De hac hiſtoria multi, & ſpecialiter Franciſcus Potel Licentiatus Carmeli Atrebatenſis, & ex eo Philippus Viſquin in libro, cui titulus *Carmelus Poeticus fol.* 132. Ex quo illa.

Ante ſacram icona Mariæ.
Dicens Angelicam Carmeli turba ſalutem
Cantat Aue; *fauſtamque humili ceruice ſalutem*
Reddit imago, manum ter dirigit, atque loquelam
Ecce mei Fratres, inquit, &c.

4 Iure quoque ac merito inter ſingularia dona intuitu eiuſdem intemeratiſſimæ Virginis à Deo Carmelitico cœtui conceſſa (vt ex eo etiam titulus dotationis pro Patronatu in ipſum roboretur) illud accenſendum, quod eius Ortus, Parentes, & ſecundum carnem conſanguinei Eremitis

mitis Carmeli, qui eius Montis coloni, & Eliæ inſtituti aſſeclæ erant, diuina viſione reuelati fuerunt ſeptuaginta ſeptem annis, vel circiter ante Chriſtum. Hiſtoriam referunt plures ex noſtris, ac de exteris. De noſtris quidem Arnoldus Boſtius *de Patronat. Mariæ cap.*13. Ioannes Palæonydorus Batauus *lib.*1.*cap.*5. Didacus Coria *in Chronic. Carmelit. lib.*2. *cap.*13. Thomas de Ieſu *de Antiquit. Carmelit. lib.* 1. *cap.*15. Franciſcus Boerſius *in lib. cui titulus Giardino de' Teſori ſpirituali*, Emmanuel Romanus *in Indice Alphabetico de Antiquitat. Ordin.* Munozius *in Propugnaculo Eliæ lib.*2. *tit.*1. Touſſinus Fourcher *in Fonte Eliæ par.*2. *cap.*6. & ante ipſos vir egregius Laurentius Cupertus *in lib. de Vita ſanctæ Annæ*, & alij. De exteris vero Petrus Dorlandus Carthuſienſis infra referendus, Guillelmus Pepinus Doctor Parlſienſis Ordinis Prædicatorum egregius alumnus *in tom. Concion. de Sanctis ſerm.*2. *de ſancta Anna*, Ioannes de Robles Canonicus Regularis *in Vit. ſanctæ Annæ*, Petrus Morales Ieſuita *in Matthæi cap.*1. *lib.*1. *Tract.*6. Ioannes Carthagena *tom.*4. *Homil.lib.*7. *homil.*1. Siluester Marulus Ciſtercienſis *in Ocean. Relig. lib.*4. Honophrius Maneſcalcus *tom.*1. *Concion.in Concion.B.Mariæ de Monte Carmeli*. Georgius Coluenerius *in Calendar. Sacratiſ. Virgin. die* 30. *Ianuarij*. Quorum verbis prætermiſſis, ſolum quæ Petrus Dorlandus ſcripſit hic transſcribenda. Is ergo grauis, & doctus Auctor, vt ipſius ſcripta apud Poſſeuinum *in Apparatu ſacro litt.P.* demonſtrant, & qui eodem Poſſeuino teſtante, anno 1490. in viuis erat, *in lib. de Vita ſanctæ Annæ*, quem ex Theutonico idiomate vertit Iodocus Badius, & habetur in fine libri *de Vita Chriſti* Lodolphi de Saxonia etiam Carthuſienſis *cap.*1. ſic caſum deſcribit: *Appropinquante plenitudine temporis, qua per Filium ſuum Deus humanum genus redempturus erat, ſeptuaginta ſeptem, vt Diuus Cyrillus Carmelita ait, ante diuini Verbi Incarnationem annis floruit in Iudæa Virgo quædam generoſiſſima ex Dauid ſtirpe nata, diues admodum, mireque formoſa, optimè morata, valideque cordata, ac ſpei de redemptione Iſrael refertiſſima. Quæ cum parentum venia filios Prophetarum in Carmelo viſitare ſolita, ab eiſdem moribus &*

pru-

prudentia, ac ſanctitate plurimum illuſtrabatur, donec iam matura viro iam plenis nubilis annis matrimonio ad generis propagationem à parentibus optimis, & prudentiſſimis ex veteri inſtituto addiceretur. Quibus tamen virgo caſtis colloquijs imbuta, virginalique vitæ aſſueta, animo deſtinato primum refragata rem ad Carmelitas retulit. Qui in ieiunio, & oratione Deum conſuluerunt, donec etiam tres in Spiritu rapti radicem videre pulcherrimam, geminam ex ſe arborem emittentem, è quarum altera natus eſt ramus ſpecioſiſſimuus tria diffundens ramalia, è quorum primo longè decentiſſimo natus eſt flos puriſſimus, atque fragrantiſſimus odore Cælum ac terram perfundens optimo. Et reliquis quoque prioris arboris ramalibus flores nati ſunt, ſi ſeorſum ſpectentur, pulcherrimi, ſed ad primi floris comparationem nihil, Ex altera verò arbore orta eſt virga ſanè pulchra, pulchriorem producens florem, nec tamen primo comparabilem. Hac radice ſic viſa, audita ſimul vox, dicens: Hæc radix eſt Emerentiana noſtra magnæ propagationi deſtinata. Qua re intellecta, virgo, Deo & parentibus obediens, Stollano viro iuſto, & Deum timenti nupsit. His ergo nixi hunc titulum inter alios Mariani Patronatus in Carmelum accenſendum duximus.

5 Nec omittendus alius etiam præclariſſimus fauor ab eadem Virginea Parente ſuis conuicinis Carmeli therapeutis conceſſus, vnde pariter titulus Patronatus merito accreſcit. Vt ſcilicet eos quandoque viſitare, ſacrumque Montem ſua præſentia decorare pijſſimè dignata ſit. Rem dicimus domeſticorum traditione, & teſtimonijs, ac exterorum monumentis æque exaratam. Præ omnibus habendum quòd Eccleſia in ſolemnis Commemorationis eiuſdem Virginis Officio pro 16. Iulij recitato, ſæpius à ſacra Congregatione Rituum recognito ſic dicat de Eliæ, Eliſci, & Ioannis Baptiſtæ ſectatoribus Carmelicolis: *Euangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt, ac peculiari quodam affectu Beatiſſimam Virginem (cuius colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere) adeo venerari cœperunt, &c.* In quibus parentheſis illa noſtrum claudit intentum. Accinit Armacanus apud Vvaldenſem *tom.3. tit.9. cap.* 89. dum inquit Carmeli Ere-

mitas *in vno latere Montis ipſius primò Eccleſiam, ſiue Oratorium in honorem Beatæ Virginis conſtruxiſſe, in loco illo ſcilicet, in quo dixerant ipſam in vita ſua cum ſodalibus virginibus habitaſſe.* Item quæ Thomas Ferrarius Ieſuatus *in Hiſtoria Imaginis Beatiſſimę Virginis* dela Guardia *nuncupatæ cap.*1. dicit, videlicet, in infantili ætate ſæpius à Matre Anna ad Carmeli Montis viſitanda pia loca adductam fuiſſe. Et quæ Georgius Colueneriu *in kalendar. Sacratiſſimę Virg.* pro die 30. Ianuarij inquit: *Beata Maria in Nazareth habitans, eos in Monte Carmelo habitantes familiariter aliquoties viſitauit* Admittunt etiam hanc Deiparæ cum Carmeli incolis familiaritatem Aſcenſius Badius, & Sebaſtianus Murrho Baptiſtæ Mantuani Commentatores *in Parthenices Marianæ lib.*2. Ioannes Carthagena *tom.*4. *Homil. homil. pro Carmelit.* Flauius Cherubinus *in Compend.Bullar. in Innoc.IV. Bulla* 6. Indicat id Trithemius *de Laudib. Carmelit. lib.*1. *cap.*7. Domeſticæ autem traditionis teſtes ſunt Ioãnes Ieroſolymitanus antiquiſſimus,& ante 1200. annos Auctor *cap.* 23. *&* 33. *lib. de Inſtit. Monachor.* Ioannes Groſſus Generalis Ordin. *in ſuo Viridario clau.*1. Baptiſta Mantuanus loco relato, & *in Apolog. pro Carmelit.* ad Cardinalem Gonzagam Ordinis Protectorem, poſtquam dixit: *Quoniam Carmelus erat ſanctitatis nomine diffamatiſſimus, accedebant illuc frequenter, cum vacabat ex vicinis locis Religionis amatores viri, & mulieres.* Paucis inter iectis de Deiparæ Virginis erga eiuſdem Carmeli Eremitas pijſſima deuotione loquens, tantam ait fuiſſe, vt quoties poterat, vel ad eos accederet, vel eos ad ſe accerſiret; ſubminiſtrans etiam eis ſecundum facultates multa neceſſaria: *Erant enim pauperes, ac mendici, contemplationi diuinorum penitus addicti.* Ioannes Palæonydorus,& apud ipſum Martinus Italus *lib.*2. *cap.*8. & alij multi. Pro quibus omnibus vnus Arnoldus Boſtius pijſſimus Auctor *in lib. eiuſdem tituli* ac iſte noſter *c.*1. hæc habet: *Ex D. Hieronymi libris notum eſt ſemper amandam Dei Genitricem omni ſuauitate pleniſſimam in ſancta Ciuitate Nazareth, quæ iuxta interpretationem nominis flos eſt Galilæus, natam, & alitam extitiſſe, maiorique vitæ ſuæ tempore fuiſſe conuerſatam;* mel-

melliſluum autem Montem Carmelum (locum inſignem, & verè ſanctum, fœcundumq. ſanctorũ, multis diuinis miraculis, & beneficijs illuſtrem, vnde nobis origo eſt, locum vtique tam Angelica reuerentia honorandum, quam deuotiſſimorum virorum à tanto tempore continuata præſentia venerandum, quo velut acies ordinatiſſima caſtrorum Dei in præcinctu laborabant milites belli dominici Carmelitæ) à Nazareth ciuitate ſuperamabilis Mariæ, vbi Chriſtianæ ſalutis gratia primò reſplenduit ſolis tribus milliaribus, vnius horæ itinere, diſtare conſtat. Huius prædeuotos incolas ſibi in virtutum operatione ſimillimos, in ſua vicinia tam proximè conſtitutos, in ſitu videlicet montis illo, vbi magnus, dignuſque Deo Sacerdos, & Vates Elias (quem clara volumina Regum, inſigne memorant virtutum culmen) pronus orans viderat nubeculam quaſi veſtigium hominis de mari in Carmelum aſcendere, hanc de qua loquimur præfigurantem; ob veterem loci ſanctitatem (quæ frequenter trahit deuotos animos) & ſemper continuatam à Patris Eliæ tempore Religionem, ſæpè numero viſitauit Virgo mundiſſima ſine omni terrenitate, confirmata, & conſummata, bonorum omnium zelatrix affectuoſiſſima, de qua nihil fulſit niſi diuinum; quam Deus Pater Filio ſuo, quem genitum, tanquam ſeipſum diligebat Matrem præparauerat; quam Spiritus ſanctus, qui de ipſis ſecundum diuinitatem procedebat, in Matrem ſanctificauit; quam Filius, qui eſt ſpeculum ſine macula diuinæ maieſtatis, & imago bonitatis illius, ſibi in Matrem elegit; tantæque ſanctimoniæ cultores; eis ſæpè cum ſodalibus Virginibus (vt dominus Armacanus teſtis eſt) commanendo, Deiformis Maria ſacra ſua præſentia decorauit, maternalem affectum eis quaſi filijs clementer exhibuit. Hæc deuotiſſimus Auctor, in quibus ſolum moderanda illa: *Sibi in virtutum operationibus ſimillimos*. Hyperbolicè namq. dicta credendum, cum nulla pura creatura Angelorum Auguſtiſſimæ Reginæ in ſanctitate ſimilis vnquam extiterit. In alijs autem intento noſtro congruis amplectendus.

6 Recolendus etiam inſignis alius titulus Marianæ Protectionis, & clientelæ in ſibi addictos Eliades, qui

etiam

mitas *in vno latere Montis ipſius primò Eccleſiam, ſiue Oratorium in honorem Beatæ Virginis conſtruxiſſe, in loco illo ſcilicet, in quo dicerant ipſam in vita ſua cum ſodalibus virginibus habitaſſe.* Item quæ Thomas Ferrarius Ieſuatus *in Hiſtoria Imaginis Beatiſſimę Virginis* dela Guardia *nuncupatæ cap.*1. dicit, videlicet, in infantili ætate ſæpius à Matre Anna ad Carmeli Montis viſitanda pia loca adductum fuiſſe. Et quæ Georgius Colucnerius *in kalendar. Sacratiſſimę Virg.* pro die 30. Ianuarij inquit: *Beata Maria in Nazareth habitans, eos in Monte Carmelo habitantes familiariter aliquoties viſitauit* Admittunt etiam hanc Deiparæ cum Carmeli incolis familiaritatem Aſcenſius Badius, & Sebaſtianus Murrho Baptiſtæ Mantuani Commentatores *in Parthenices Marianæ lib.*2. Ioannes Carthagena *tom.*4. *Homil. homil. pro Carmelit.* Flauius Cherubinus *in Compend.Bullar. in Innoc.IV. Bulla* 6. Indicat id Trithemius *de Laudib. Carmelit. lib.*1. *cap.*7. Domeſticæ autem traditionis teſtes ſunt IoãnesIeroſolymitanus antiquiſſimus,& ante 1200. annos Auctor *cap.* 23. *&* 33. *lib. de Inſtit. Monachor.* Ioannes Groſſus Generalis Ordin. *in ſuo Viridario clau.*1. Baptiſta Mantuanus loco relato, & *in Apolog. pro Carmelit.* ad Cardinalem Gonzagam Ordinis Protectorem, poſtquam dixit: *Quoniam Carmelus erat ſanctitatis nomine diffamatiſſimus, accedebant illuc frequenter, cum vacabat ex vicinis locis Religionis amatores viri, & mulieres.* Paucis inter iectis de Deiparæ Virginis erga eiuſdem Carmeli Eremitas pijſſima deuotione loquens, tantam ait fuiſſe, vt quoties poterat, vel ad eos accederet, vel eos ad ſe accerſiret; ſubminiſtrans etiam eis ſecundum facultates multa neceſſaria: *Erant enim pauperes, ac mendici, contemplationi diuinorum penitus addicti.* Ioannes Palæonydorus,& apud ipſum Martinus Italus *lib.*2. *cap.*8. & alij multi. Pro quibus omnibus vnus Arnoldus Boſtius pijſſimus Auctor *in lib. eiuſdem tituli* ac iſte noſter *c.*1. hæc habet: *Ex D. Hieronymi libris notum eſt ſemper amandam Dei Genitricem omni ſuauitate pleniſſimam in ſancta Ciuitate Nazareth, quæ iuxta interpretationem nominis flos eſt Galilæus, natam, & alitam extitiſſe, maiorique vitæ ſuæ tempore fuiſſe conuerſatam;*

mel-

melliſluum autem Montem Carmelum (locum inſignem, & verè ſanctum, fœcundumq. ſanctorũ, multis diuinis miraculis, & beneficijs illuſtrem, vnde nobis origo eſt, locum vtique tam Angelica reuerentia honorandum, quam deuotiſſimorum virorum à tanto tempore continuata præſentia venerandum, quo velut acies ordinatiſſima caſtrorum Dei in præcinctu laborabant milites belli dominici Carmelitæ) à Nazareth ciuitate ſuperamabilis Mariæ, vbi Chriſtianæ ſalutis gratia primò reſplenduit ſolis tribus milliaribus, vnius horæ itinere, diſtare conſtat. Huius prædeuotos incolas ſibi in virtutum operatione ſimillimos, in ſua vicinia tam proximè conſtitutos, in ſitu videlicet montis illo, vbi magnus, dignuſque Deo Sacerdos, & Vates Elias (quem clara volumina Regum, inſigne memorant virtutum culmen) pronus orans viderat nubeculam quaſi veſtigium hominis de mari in Carmelum aſcendere, hanc de qua loquimur præfigurantem; ob veterem loci ſanctitatem (quæ frequenter trahit deuotos animos) & ſemper continuatam à Patris Eliæ tempore Religionem, ſæpè numero viſitauit Virgo mundiſſima ſine omni terrenitate, confirmata, & conſummata, bonorum omnium zelatrix affectuoſiſſima, de qua nihil fulſit niſi diuinum; quam Deus Pater Filio ſuo, quem genitum, tanquam ſeipſum diligebat Matrem præparauerat; quam Spiritus ſanctus, qui de ipſis ſecundum diuinitatem procedebat, in Matrem ſanctificauit; quam Filius, qui eſt ſpeculum ſine macula diuinæ maieſtatis, & imago bonitatis illius ſibi in Matrem elegit; tantæque ſanctimoniæ cultores; eis ſæpè cum ſodalibus Virginibus (vt dominus Armacanus teſtis eſt) commanendo, Deiformis Maria ſacra ſua præſentia decorauit, maternalem affectum eis quaſi filijs clementer exhibuit. Hæc deuotiſſimus Auctor, in quibus ſolum moderanda illa: *Sibi in virtutum operationibus ſimillimos.* Hyperbolicè namq. dicta credendum, cum nulla pura creatura Angelorum Auguſtiſſimæ Reginæ in ſanctitate ſimilis vnquam extiterit. In alijs autem intento noſtro congruis amplectendus.

6 Recolendus etiam inſignis alius titulus Marianæ Protectionis, & clientelæ in ſibi addictos Eliades, qui etiam

etiam eius Patronatum, dotationis quoque cauſa mirabiliter adauget. Quod videlicet eadem ſuperamantiſſima Mater ſuorum Carmeli filiorum propagationem affectans, Beato Cyrillo eius Montis celebri Eremitæ, qui immenſo conſternatus dolore quod viderat totam Terram ſanctam, in qua ipſius Religio veluti vitis fœcundiſſima dilatata pluribus manſionibus florebat, in Turcarum manibus, ob Chriſtianitatis ſcelera tradendam, eandem ſuperpijſſimam Patronam pro Religionis conſeruatione precibus rogitabat; ſublimiter explicuit (verba ſunt Arnoldi noſtri *cap.* 5. libri relati) *quod breui decurſo tempore viri diuerſarum nationum Mariæ Religionem profiterentur, qui eam in ſuis regionibus copioſiſſimè multiplicarent; adeo vt ſicut vitis abundans longè, lateque per totam Europam feraciſſimos palmites foret emiſſura; & admonuit, vt adueniente perſecutionum rabie, ob quam oporteret ſuum derelinquere Carmelum, Paradiſi veſtibulum, locum à tanto tempore Chriſto copioſiſſime fructificantem, ac Terram ſanctam paternam, auitamque poſſeſſionem, tot Prophetarum, Patriarcharumque patriam, intemeratæ Mariæ Virginis, ac Domini Saluatoris domicilium, totiuſque ſalutis humanæ officinam, eò patientius ferrent ſuam de Terra vna euulſionem, quo amplius cernerent ſe in cunctis Chriſtiani Orbis prouincijs affluentiſſimè dilatari.* Huius etiam hiſtoriæ de hac reuelatione facta Cyrillo memoriam faciunt Guillelmus de Sanuco Auctor noſtri Ordinis à quadringentis annis celebris *in lib. de Multiplicat. Ordin. cap.* 3. Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 4. Thomas de Ieſu ex PP. Diſcalceatis illuſtris Auctor *lib.* 2. *de confraternit. Carmel. cap.* 1. & alij Hiſtorici Ordinis. De qua etiam in noſtris Annalibus, vbi ſimiliter de tempore quo contigit, dicitur. Nunc enim eò dumtaxat recitata, vt ex ea Marianæ Protectionis non leue veſtigium in ſuum Carmelū demōſtretur. Quomodo autem hæc Almæ Virginis prædictio opere expleta fuerit, hiſtoriæ noſtræ loquuntur, & Arnoldus relatus, jubilans ſic refert ſupra: *Sicut fiendum à ſuperis audiuit Cyrillus, ita factum vidit mundus omnis, Religionem videlicet Carmelitanam, multò latiùs in*

pro-

propagine ramorum germinare, quam pridem in radice pullulauerat.

Nunc quadripartitus mundi ſub partibus amplis
Fructificandæ fide ſemina laudis habet.

Inclyta Dei Genitrix Maria Patrona Carmeli præclariſſima efficaciter cooperante, ac progreſſum ſui Ordinis confirmante frequentibus ſignis. Hinc quidem metro cecinit:

Sancto Carmeli Vatum pia norma virorum
Aedibus ex priſcis tua cùm plantamina mittes,
Punica mala ferens, Paradiſus ades mihi præſens
Cum varijs pomis, ſpecie vultuque decoris.
Ante quidem paruus Iudeæ in partibus ortus
Arboribus celſis & multa repletis
Nobilis extiteras & iam ſe mundus amœnat
Per te plantatis de primo germine ramis
Te nunc intueor progreſſam in climita mundi
Ortus vt aurora ſe totò ſpargit in Orbe:
Vinea iam flores, & flores fructibus ornas
Præ ſpecie ſolita dant flores punica mala.

7 Sed ſi quod eſt Mariani Patronatus in puſillum Carmeli gregem ſignum, id erit, quod tempore Honorij Tertij, qui anno Chriſti 1216. Summi Pontificatus apicem aſcendit, contigiſſe, tum propriæ, tum exteræ hiſtoriæ loquuntur. Sed præ omnibus Eccleſia *veritatis columna* teſtimonium præbeat: Quæ in Officio Commemorationis ſolemnis eiuſdem prædulciſſimæ Parentis Mariæ ſæpius approbato à ſacro Rituum cœtu, ſæpius quoque à nobis repetito, ſic habet: *Ac demum, cum olim in Europa Ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium Tertium non pauci pro illius extinctione inſtarent, aſtitit Honorio noctu puriſſima Virgo Maria, plenèque iuſſit, vt inſtitutum, & homines benignè complecteret ur.* Conſonant Hiſtorici noſtri præſertim Arnoldus Boſtius *in lib. de Patron. Virgin. cap. 5.* Balduinus Leerſius Atrebatenſis *in Collect. Exemplor. & miraculor. cap. 3.* Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 5.* Petrus Lucius Belga *in Compend. Hiſtor. cap. 12.* Chryſoſtomus Silueſtranus vir doctiſſimus *in Summar. Antiquit.*

tiquit. Ord. & Confraternit. Thomas Ieſu *ſupra*, quos veluti anteſignanos, & vetuſtiores duces, tyrones multi alij, ac-recentiores ſequuntur. Ac de exteris Hieronymus Platus *de bono ſtat. Relig. lib.* 2. *cap.* 22. Emmanuel Rodriguez *tom.*2. *Quæſt. Regular. q.*96. *artic.* 7. Benedictus Gononus *in Chronic. Deiparæ anno* 1217. Ioannes Carthagena *homil. pro Carmelit.* Bzouius *in Annalibus ſub anno* 1217. §. 12. Ioannes Fridericus Matenenſius Protonotarius Apoſtolicus *ibidem.* Flauius Cherubinus *in Compend. Bullarij in Honorio Tertio Bulla* 8. *ſchol.*2. Ferreolus Locrius *in Maria Auguſta lib.*3. *cap.*17. licet per errorem pro Honorio Tertio, Honorium Quartum dicat, Honuphrius Meneſcal. *in Concion. Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo tom.*1. *Concion.* Georgius Coluenerius *in Kalend. Sacratiſſ. Virgin. die* 30. *Ianuarij.* Ex quibus omnibus id habetur, quòd cùm in generali Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio ſtatutum eſſet, vt nullus inferior Domino Apoſtolico Religionem nouam, aut Ordinem inſtituere præſumeret, & aliqui propterea contra Ordinem noſtrum (perperam ſanè, cùm ante Concilium ipſum inſtitutum eſſe pateat ex *cap. vnic. de Religioſ. dom. in* 6. vbi id à Concilio generali Lugdunenſi definitur) obſtrepere non vererentur; ad Dominum Papam Honorium rem deferunt Fratres noſtri exorantes, vt antiquam Propheticam Religionem, Albertique Regulam, quam obſeruabant, Apoſtolicæ confirmationis munimine roboraret. Diſtulit autem Matris Dei milites exaudire Vicarij Chriſti Curia. Quapropter Sacratiſſima Maria tenebris noctis interruptis, æthereo cum lumine adueniens, Summum Pontificem admonuit ad petentium vota animum dare. Nec eſt (inquit) aduerſandum in his, dum iubeo, nec diſſimulandum, dum promoueo. Inſinuauitque eidem duos de Curialibus ſuis dictæ Religionis æmulos, Deo vltore, eſſe plexos. diſpari exitu, ſed diſceſſu pari. At expergiſcens Pontifex, in Ordinis fauorem Mariani eam Bullam dedit, quæ in Bullario Cherubini loco relato habetur, in qua Ordinis Regulam, ac perinde Ordinem ipſum confirmauit.

mauit. De quo, & anno huius confirmationis in Annalibus noſtris latè. Hìc autem preſsè prout ad inſtitutum de Mariæ Patronatu confirmando ſpectare videtur.

9 Occaſione autem huius tam inſignis beneficij grati animi memor excitata Religio feſtum Commemorationis ſolemnis eiuſdem Deiparæ, quod ſæpius protulimus, celebrandum indixit quotannis pro die 16. Iulij. Prout teſtantur Petrus Lucius, Silueſtranus, Carthagena, & Coluenerius relati, & Petrus Saracenus *in Menolog. Carmelit.* Colligitur ex vetuſta eiuſdem Officij Collecta, in qua eius miraculi mentio ijs verbis habebatur: *Deus qui excellentiſſimæ Virginis, & Matris Mariæ titulo humilem Ordinem tibi electum ſingulariter decoraſti, & pro defenſione eiuſdem miracula ſuſcitaſti, concede propitius, vt cuius Commemorationem deuoti veneramur, eius in præſenti auxilijs muniri, & in futuro gaudijs ſempiternis perfrui mereamur.* Ait etiam Balduinus Leerſius ſuperius relatus: *Iſtud miraculum recitatur in ſermone inuiolabilis antiquitatis qui legitur in ſolemni Commemoratione Virginis.* Eadem quoque 16. Iulij die contigit inſignis illa Deiparæ Mariæ ad Beatum Simonem apparitio, & ſacri Scapularis donatio; prout ex hiſtoria eiuſdem Simonis à Petro Svvanygntone ipſius comite habetur: in ea namque dicitur contigiſſe *in craſtinum diuiſionis Apoſtolorum*, quod feſtum, vt ex vetuſtis Ordinis Breuiariis innoteſcit die 15. Iulij ſolmniter celebrabatur. Ergo credendum piiſſimam Matrem ea die materna viſcera in filios veluti effudiſſe ſpecialiſſimum illis fauorem, de quo in ſequentibus, ipſis elargiendo: vel è contra idcirco eam diem Patres noſtros pro ea ſolemni Commemoratione celebranda ſelegiſſe, quòd tanti beneficij in ipſa participes eſſe Diua Virgo dignata ſit.

9 Nec prætermittendum aliud eiuſdem munificentiſſimæ Virginis Patronatus ingens indicium, magnumque beneficium ſuis adhibitum Carmeli incolis clientulis ſub anno Chriſti nati 1237. in quibuſdam generalibus Comitijs eo Monte celebratis, cæleſti reuelatione denunciantis Genera-

nerali Præfecto, vt Fratribus licentiam impertiret ad fundandum Monaſteria Ordinis in Occiduis partibus, retentis etiam alijs in Carmeli, & Palęſtinæ locis, qui firmiori cęteris animo Martyrij palmam ob ſęuientium Turcarum furorem opperiebantur. Parcat benignus lector, & hiſtoriam cum alijs concernentibus dictum Generale Capitulum audiat libenter ex pio, graui & eloquij facundiſſimi auctore Arnoldo Boſtio, qui *lib. de Patronatu Virginis in Carmelit. cap.* 6. hæc litteris conſignauit: *Succedente verò tempore, anno videlicet Chriſtianæ ſalutis milleſimo ducenteſimo, & trigeſimo ſeptimo, cum ſolito fortius à Saracenis oppugnaretur nobilis, ſancta, & deſiderabilis diuinæ repromiſſionis Terra; Domina gentium, princeps prouinciarum, paradiſo amœniſſima fertilitate ferè conſimilis, poſſeſſio Patriarcharum, Prophetarum Mater, & Apoſtolorum ſedes, gratiæ nunciatrix, & gloria populi Chriſtiani (quam olim in carne præſens viſitauit, & incoluit, miraculis illuſtrauit, & proprio ſanguine dedicauit oriens ex alto) &, vt clariſſimi Clareuallenſis Abbatis ſancti Bernardi verbis vtar: Terra bona & optima, quæ in fecundiſſimo illo ſinu ſuo ex area Patrum, cordis cæleſte granum ſuſcipiens tantos ex ſuperno ſemine Martyrum ſegetes protulit, & nihilominus ex omni reliquo fidelium genere fructuum fertilis gleba, trigeſimum, & ſexageſimum, & centeſimum ſuper omnem terram multipliciter procreauit: ac præpediente Imperatore Frederico Secundo, qui aduerſus Romanam Eccleſiam graſſabatur; ſolitum non haberet ab Apoſtolica ſede ſuccurſum; deuoti complures ſuperamabilis Mariæ Fratres natione Occidentales (qui dum ſanctum Domini Sepulchrum viſitare venerant ſanctæ conuerſatione Mariæ filiorum attracti fuerunt; adeo vt in Carmelo, horto liliorum Domini, fonte Religionum, portu Paradiſi, Mariæ Saluatoris Matri omnis tribus, lingua, & natio, quæ ſub Cælo eſt, benedicerent) propter frequentes, quos patiebantur Saracenorum inſultus, ex hi præ cæteris qui in eremis Monaſteria habuerunt, portas occiduas patere decreuerunt, vt quietius ei, Natoque ſuo ſeruire valerent. Multis denique grauiter ferentibus, quòd tam dilectis vnanimis vitæ ſo-*

cijs

eiſs ex tunc iugiter fruſtrarentur, facta eſt Capitularis Congregatio in Eccleſia Mariæ primaria in Monte Carmelo prope fontem Eliæ in originali totius Religionis Mariæ Monaſterio, in Sanctuario Mariæ, quod firmauerunt manus eius: quod & Beatus Martyr Antonius, lib. de ſacris locis Orientis Eliſei Prophetæ Monaſterium appellat. Et conuenerunt Patres diſcretiores omnium Ordinis Mariæ Conuentuum, ſeu Cœnobiorum, quos Carmelus in Terra ſancta pepererat, videlicet 2. de domo deſiderabilis Eremi Quarantenæ propè fontem ſanctiſſimi Patris Eliſei, qui ſic appellatus eſt, eo quod aquas eius ſteriles, & amaras ſalis iniectione ſanauit virgineo flagrans Eliſeus flore Propheta. In qua etiam Eremo Dominus Saluator quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit. Cuius loci Eremitas Dominus Iacobus de Vitriaco in hiſtoria Orientis ſingulari laude Commendat. 3. De Monaſterio Vvalim à cognomine fundatoris ſic appellato, in Eremo, quæ adiacet mari Galilææ ſito, in qua Dominus Ieſus frequenter turbis prædicauit, & de quinque panibus, & duobus piſcibus tantū ſatiauit hominū multitudinem; varijs quoq. miraculis coruſcauit. 4. De Conuentu Ptolemaide, ſeu Acconenſi. 5. De Conuentu Tyri. 6. De Conuentu Sareptano, qui eo loco (videlicet ante portam oppidi) in honorem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ conſtructus eſt, vbi ſanctus Elias venit ad mulierem viduam, apud quam diuina ordinatione hoſpitium cepit; cuius & filium Ionam à morte fecit reuiuiſcere; quapropter & à Ludolpho vocatur Eccleſia ſancti Eliæ. 7. De Conuentu Tripolitano. 8. De Conuentu Montis Libani, qui & Bellus locus ob ſitus amœnitatem dictus eſt. 9. De Conuentu ſanctæ ciuitatis Ieroſolymitanæ, qui Portæ aureæ vicinus dicebatur Domus Beatæ Annæ, eo quod ſanctiſſima mater Anna (quæ cunctis aſtris longè ſplendidior per preces, & repromiſſionem diuinam nobis Stellam maris peperit) & ſanctiſſimus Pater Ioachim ſuus Maritus pudiciſſimus (cuius & præcelſa gloria meretur eſſe in æterna præclaræ laudis memoria) deuotiſſimi parentes, ſuauiſſimæ, & incomparabilis Virginis (quos ille qui cognitor eſt vniuerſorum velut optimos omnium elegit ad conceptionem, generationem, atque educationem ſuæ præbenedictæ Genitricis) ſigno diuinitus accepto, ſibi inuicem.

cem obuiauerunt ibidem, de promiſſa prole Dei Matre, Cæli-que Regina futura aſſecurati. Ex hac domo prodiere clariſ-ma illa duo mundi ſydera ſanctus Angelus martyr vitæ merito ſanctioribus annumerandus, prædicator Chriſto plurimum fru-ctificus, innumeris miraculis coruſcus, & ſanctus frater eius vterinus Ioannes Ieroſolymitanus Pontifex inſtar maiorum Cæli luminarium longè, latèque refulgentes. 10. *De Conuentu An-tiocheno.* 11. *De Conuentu Montis Neroi, ſeu Montanæ Ni-græ, cuius loci Eremicolas Frater Thomas de Cantiprato Or-dinis Prædicatorum in ſuo libro Apum eximia laude commen-dat, & de cæteris alijs Conuentibus, qui inſtitutionem, & Regulam à Montis Carmeli Monaſterio tantæ perfectionis fon-te ſumpſerant, & Priori Carmelitano fuere ſubiecti. Inter cætera quæ in eo Capitulo tractata fuerant, propoſuere Fra-trum multi receſſum aliquorum à terra illa (quæ incolarum peccatis exigentibus in dies amplius oppugnabatur) expedire; ne tanta Religio inter Turcas impudicos euaneſceret, ſed in partibus Occidentis tranſplantata iugiter floreret, fructumque faceret abundantem; præſertim cum iam permulti eorum Sa-racenorum gladio forent abſumpti. Contradixere plures, non eſſe dicentes fortis militis tergum oſtendere, ſed viriliter perſi-ſtere, & ad mortem vſque bellando perſeuerare. Cumque ſic dubia Patrum fieret ſententia, ſingulare totius ſeculi propi-tiatorium, piiſſimaque ſuorum ſemper conſolatrix Virgo Ma-ria, decus Orbis, ſydus hominum, ſpeculum Angelorum, dul-cis eloquio, & facie gratioſa ſancto Priori Carmeli ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ſuæ clementer apparuit, & admonuit, vt petitioni Fratrum, qui Orientale lumen tenebris Occiduis in-ferre vellēt, nequaquā obſiſteret; innuens ei à ſe & à Filio ſuo hunc egreſſum eſſe ſermonem, quatenus Carmeli flores non ſolum Palæſtinam, & Syriam, ſed & Orbem adornent vniuerſum, & Terra repromiſſionis, quæ olim fluxit lac, & mel ſuis dum-taxat habitatoribus, ex nunc vniuerſo Orbi remedia ſalutis, & vitæ porrigeret alimenta; ſicque Eccleſia ab vnitate, nec mari, nec terrarum ſpatio diſiuncta pia incolarum communicatione, & pignorum ſuſceptione oſtenderetur ſociata. Hoc itaque Regina*

præ-

præpotentis edoctus oraculo diuinitus inſpiratus Prior annuit ædificandi in regionibus proprijs Monaſteria ſacra Religionis diuiniſſimæ Mariæ licentiam eis impartiens; retenta adhuc ſecum firmorum Fratrum, qui animas quotidie pro Chriſto ponere parati forent, multitudine copioſa. Quis non ex iſtis liberaliſſimæ Patronæ titulum Mariæ in Carmelitas concedat? Ea porro non ſolum in hiſtoriis noſtris, ſed & in extraneis reperiet lector; prout in ea, quam Placidus Samperi Meſſanenſis Ieſuita compoſuit ſub titulo *Iconologia glorioſæ Virginis Meſſanæ Protectricis lib.2.cap.9.*

10 Contigit etiam paulo poſt hoc tempus (non circa annum 1246. prout autumat Segerus Paulus Colonienſis *in Summar. Hiſtor. Solemnit. Virginis Mariæ*, ſed potius circa 1251. prout Petrus Svvanygton infra referendus ſcribit) ſpecialiſſimum aliud Virginei Patrocinij in alumnum Carmelitarum Cœtum indicium, quod vel ſolum ſat eſſet, vt eximiæ dotatricis titulo eadem præclariſſima Virgo eorum Patrona dici poſſet. De habitu ſcilicet, vel Scapulari Beato Simoni Stock Anglico in ſignum protectionis eius, & totius Carmeli Sodalitij à prædulciſſima Matre benigniſſimè conceſſo. Tradunt hoc innumeri Scriptores domeſtici, & exteri inferius referendi: dum tamen prius veluti pro textu ingentis auctoritatis proferamus, quæ ſacra Congregatione Rituum ſæpius approbante leguntur in Solemni Cōmemoratione eiuſdem Deiparę lectione quinta. Vbi poſtquam titulum Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Ordinis alumnis conceſſum approbat, ſubiungit: *Nec verò nomenclaturam tantùm magnificentiſſima Virgo tribuit, & tutelam, verum & inſigne ſacri Scapularis, quod Beato Simoni Anglico præbuit, vt cæleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur.* Rem ergo ſic enodamus. Cum huius Beatiſſimi Simonis Generalatus tempore multi ſacrum noſtrorum Religioſorum Inſtitutum maledicentiæ ſagittis offenderent, Ecclesiarum Prælati parùm benignè tractarent, & alij veluti nouum, & in Europæ partibus incognitum

auerſaretur, etſi ſanctus Præſul, ipſum Summorum Pontificum auctoritate, & priuilegijs ſufficienter confirmatum, & communitum cerneret, ad Deiparam tamen Ordinis ſingulare præſidium, vt tutiſſimum Aſylum, confugiens, ab ipſa quoq. priuilegium aliquod ſingulare pro ſpecialiter ſibi dicata Religione poſtulabat. Audijt benigna Mater, & filijs liberaliter ſacri Scapularis donum extemplo largitur.

Modum huius viſionis, ſeu Mariæ Virginis Auguſtiſſimæ reuelationis ſic refert Petrus Svvanyngto Anglus eiuſdem Beati Simonis familiaris comes, & à confeſſionibus, & legationibus ſocius, in hiſtoria ipſius, quam affert perdoctus Ioannes Cheron Burdigalenſis *in Priuilegiati Scapularis vindicijs pag.* 165. his verbis. *Beatus Simon grandæua ſenectute grauatus, & rigoroſa pœnitentia fractus, omnium Fratrum dolores in corde ſuo ſuſtinendo, aſſidue pernoctabat in oratione vſque ad auroram; dum autem ſic oraret, venit ei conſolatio de Cælo, quam nobis in ſimul congregatis narrabat ſic:* Fratres *chariſſimi, benedictus Deus, qui non dereliquit ſperantes in ſe, & non ſpreuit preces ſeruorum ſuorum; benedicta in idipſum ſanctiſſima Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ memor dierum antiquorum, & tribulationum, quæ multos veſtrum inuenerunt nimis, non attendentes quòd omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutiones patientur; mittit vobis verbum, quod ſuſcipietis cum gaudio Spiritus ſancti. Ipſe me regat, vt manifeſtem illud, ita vt oportet me loqui. Cum effunderem animam meam in conſpectu Domini, quamuis ſim puluis, & cinis, & in omni fiducia Dominam meam Virginem Mariam deprecarer, quod ſicut volebat nos appellari Fratres ſuos, moſtraret ſe Matrem: eripiendo nos de caſu tentationum, & aliquo ſigno gratiæ nos recommendando erga ipſos qui nos perſequebantur, dicendo illi cum ſuſpirijs: Flos Carmeli, vitis florigera, ſplendor Cæli, Virgo puerpera ſingularis, Mater mitis, ſed viri neſcia, Carmelitis da priuilegia, Stella Maris. Apparuit mihi cum grandi comitatu, & tenendo Habitum Ordinis dixit: Hoc erit tibi & cunctis Carmelitis priuilegium. In hoc moriens æternum non patietur incendium.* Ea-

dem

Eadem mutuati ſunt ex Svvanyngtone, ex primo veluti fonte, vtpote eidem Beato Simoni ſynchronoco, & coæuo, auricularique teſt., poſteriores Patres, ac Hiſtorici Ordinis. E quibus Guillelmus Conuentre Anglus quoque *in ſuo Scuto Carmelitarum*, quod circa annum 1348. compegit, iſta, quæ ſibi etiam accepit circa an. 1412. Reuerendiſſ. Ioannes Groſſi Magiſter Generalis Ordinis antiquitate, & grauitate clarus, *in Tractatulo de ſanctis Ordinis fol.* 103. loquens de Beato Simone: *Nonus fuit ſanctus Simon de Anglia Generalis Ordinis ſextus. Qui Dei glorioſiſſimam Genitricem iugiter deprecabatur, vt Carmelitarum Ordinem, qui ſpeciali gaudet ipſius Virginis titulo, aliquo communiret priuilegio, dicens voce deuotiſſima: Flos Carmeli, vitis florigera, ſplendor Cæli, Virgo puerpera ſingularis, Mater mitis, ſed viri neſcia, Carmelitis da priuilegia, Stella maris. Cui Beatiſſima Virgo cum multitudine Angelorum apparuit Scapulare Ordinis in benedictis manibus ſuis tenens, & dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, quod in hoc moriens æternum non patietur incendium.* Id eſt, in hoc moriens, ſaluabitur. Prout ipſe Groſſus addit. Similia fermè Arnoldus Boſtius *in lib. relato de Patronatu Virg. cap.* 10. Balduinus Leerſius *in Collectario exemplor. & miraculor. cap.* 4. Thomas Bradleus *in lib. de Fundat. Ordin. cap.* 2. Ioannes Currifex *in Catalog. Scriptor. & SS. Ordin.* Petrus Brunnius *in Oratione ad Patres Capituli Prouincialis Franciæ* excuſa Aloſti. Gerardus ab Edam *in lib verſ. heroicor.* Quos æmulatur Ioannes Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 7. rem ſic deſcribens: *Poſtquam autem ſacer Marianus, & Eliæ noſter Ordo priuilegijs Summorum Pontificum (vt præmiſimus) fuit ſolidatus, Beatus Simon Prior Generalis eo magis Chriſto, & Matri eius intentius ſeruiens, & Fratres ad ſeruiendum inducens, quanto Ordinis titulo celebriores, & Apoſtolicæ ſedis acceptiores erant. Vnde non multitudini diuitiarum, ſed gratiarum, non ornamento veſtimentorum, ſed virtutum incumbens, ſedulo Mariam deprecabatur, quatenus Ordinem eius titulo inſignitum aliquo ſingulari priuilegio munitum ad ſui laudem, & multorum ædificationem fidelium decoraret, frequen-*

Digitized by Google

ter ſic orando: Flos Carmeli, vitis florigera, ſplendor Cæli, Virgo puerpera ſingularis, Mater mitis, ſed viri neſcia, Carmelitis da priuilegia, Stella maris. Nec defuit feruido ſuo Zelatori ſuperliberalis Virgo Dei Mater, ſed angelicis comitata cæteruis lumine amicta eidem apparuit dicens: Dilectiſſime meus recipe hoc tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis ſignum, tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo moriens æternum non patietur incendium. Idem auctores Communiter alij, Ordiniſque Hiſtoriographi referunt, ſpecialiter Chryſoſtomus Silueſtranus *in Summar. antiquit. & gratiar. Ordin. Carmelit.* Petrus Lucius *in Compend. Hiſtor. cap.* 12. Didacus Coria *in Chron. Carmelit. lib.* 10. *cap.* 12. Thomas de Ieſu *lib.* 2. *de Confraternit. Carmelit. cap.* 1. Petrus Saracenus *in Menolog. Carmelit. in Vita Beati Simonis Stok,* Leo à ſancto Ioanne *in Typo, ſeu pictura veſtis Religioſæ ſect.* 9. Cyprianus à ſancta Maria *in Theſauro Carmelit. cap.* 4. Conſonant Officium vetuſtum eiuſdem Beati Simonis, quod eſt in vſu Burdegaliæ ſupra annos ducentos, & qui eius vitam ſcripſerunt Monaldus Roſarius Vaſco, Rolandus Buochier Hannonius, & Nicolaus Harlemenſis Batauus, & ex neothericis Benedictus Gononus *in Vit. Patr. Occidentalium lib.* 4. eam viſionem referentes. Ac vita eiuſdem Beatis Simonis, quæ ſub Compendio extat in Bibliotheca Vaticana. Exteri etiam Auctores idem recipiunt. Maximè Silueſter Marulus *in Ocean. Relig. lib.* 4. Meneſchal. *in Concion. Beatæ Virginis de Monte Carmeli,* Emmanuel Rodriguez *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 97. *art.* 7. Paulus Morigia *de Origin. Relig. cap.* 30. Relatus Gononus *in Chronic. Deipar. anno* 1250. Horatius Pancirolus *in Teſori naſcoſti di Roma,* Martinus del Rio *lib.* 4. *Diſquiſit. Magicar. cap.* 1. *quæſt.* 2. *ſect.* 2. dum Sanctorum virorum reuelationes refert, inter quos noſtrum Simonem cenſet, abſdubiè propter eam, de qua loquimur, viſionem, Ioannes Carthagena *tom.* 4. *homil. lib.* 17 *homil.* 1. & 2. Antonius Sanderus *in Hiſtoria Gandaui lib.* 5. *cap.* 7. Cornelius à Lapide *in Cantica Cantic. c.* 7. *ver.* 5. Georgius Coluenerius *in Kalendario ſacratiſſ. Virg. Mariæ die* 3. *Martij.* De huius autem reuelationis, ſeu viſio-

nis

Digitized by Google

nis Virgineæ auctoritate, ac pietate, qua à pluribus, etiam Regibus, & Principibus Chriſtianis recepta eſt, propugnatione, etiam contra quendam nouitium Scriptorem obloquentem plura in noſtris Annalibus, quæ pro nunc miſſa facienda.

11 Non prætermittendum tamen pro ſimpliciori, rudioriue populo, concionatoribuſque non valde peritis, verba illa: *In quo moriens æternum non patietur incendium*, ſeu: *In hoc moriens ſaluabitur* (prout Generalis Groſſus ex Guillelmo Conuentrenſi exponit) non vt jacent capienda. Etenim nudè accepta fidei Catholicæ aduerſari videntur; cum certo certius liqueat plura ad ſalutem animæ, & ignem æternum fugiendum præter Carmelitici Scapularis induitionem neceſſariò requiri. Triſariàm igitur exponenda. Primò dicendo, quòd, quemadmodum, iuxta ſacræ Scripturæ phraſim promittitur vita æterna, vel ſalus propter aliqua, quæ licet ad illam valde conducant, ſola tamen non ſufficiunt niſi cum alijs, vt patet ex illo Ioannis 6. de Euchariſtia: *Siquis manducauerit ex hoc hoc pane viuet in æternum*; & poſtea: *Qui manducat meam carnem, & bibit*, &c. *habet vitam æternam:* Et de Fide *Ioann.* 3. *Omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Et ad Romanos 10. *Si Confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris*. Et rurſus ibidem: *Omnis qui credit in illum, non confundetur*. Et de Fide, & Baptiſmo Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit* (plura alia prætermittimus) ſic in præſenti à Beata Virgine ſalus æterna, & liberatio ab igne æterno promittitur ſacrum ſui Ordinis Scapulare geſtantibus, quia etſi plura alia ad id neceſſaria ſint, ex promiſſione tamen Beatæ Virginis habitum portaſſe, & pia alia opera exercere, quæ Confratres exercent, medium valde vtile eſt ad eum finem aſſequendum. De quo aptè Cardinalis Bellarminus *tom.3. lib.2. de Pœnit. cap.7. obiect.5.* diſertè affirmans Scripturam diuinam pluribus ſæpius rebus vim ſaluandi tribuere, non quòd illæ ſolæ ad eum finem perducant,

ſed quod ipſæ cum alijs neceſſarijs id efficiant. Sic ergo in propoſito aſſerimus. Sic etenim eiuſmodi reuelationis verba ab eodem, cui dicta ſunt, Beato Simone, intellecta fuere. Teſtante namque Petro Svvanyngtone relato, qui id auribus percepit, idem Beatus Simon poſt relatam ſibi, & alijs Fratribus viſionem ſubiunxit, in ipſius veluti explanationem: *Fratres, conſeruando verbum iſtud in cordibus veſtris ſatagite electionem veſtram certam facere per bona opera; & nunquam deficere; vigilate in gratiarum actione pro tanta miſericordia, orantes ſine intermiſſione, vt ſermo mihi factus clarificetur*. En quomodo illud, *In quo moriens æternum non patietur incendium* intelligi debeat, comitantibus alijs neceſſarijs. Vnde Ioannes Currifex ex vetuſtis huius Reuelationis expoſitoribus *in Catalogo SS. Ordin.* ſic ea verba exponebat: *Ceteris paribus bene diſpoſitis*.

12 Quia verò ex hac expoſitione aliquis inferet nullum ſpeciale priuilegium illis verbis à Beata Virgine promitti geſtatoribus Scapularis; dicimus ſecundò. Ideo in prædicta viſione ſalutem animæ, & liberari ab inferorum pœnis tribui ſacri Scapularis induitioni; quòd illud piè geſtantes, quantum eſt ex parte Beatæ Virginis, ipſiuſque pro ipſis interceſſione, niſi per ipſos ſteterit, ſalutem conſequentur æternam. Sic etenim, & in eodem ſenſu de Deo dicitur 1. ad *Timoth. 2. Vult omnes ſaluos fieri.* & 2. *Petri 3. Vult omnes ad pœnitentiam reuerti*: ſcilicet quantum eſt ex parte ſua, & auxiliorum, quæ ſingulis pro opportunitate diſtribuit. Plures autem ab æterna damnatione, qua ſecundum præſentem iuſtitiam digni erant Beatiſſimæ Virginis precibus, & interuentu liberatos fuiſſe, adeo certum in hiſtorijs, vt noſtra non egeat probatione. Confirmat intentum alia ferè ſimilis reuelatio, ſeu viſio eiuſdem Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſanctiſſimo Patriarchæ Prædicatorum Dominico facta, quam affert Bzouius *tom. 13. Annal. ſub an. 1213. n. 11.* vbi loquens Beatiſſima Virgo de Roſario dicit: *Hoc erit vnicum ad euertendas hæreſes, vitia extinguenda, virtutes promouendas, miſericordiam diuinam implorandam, ſuffragiaque mea impetranda,*

ma-

magnum, & ſingulare in Eccleſia inſtrumentum. Quæ omnia verificari non poſſunt de ſacro Roſario, niſi quatenus ex promiſſione Beatiſſimæ Virginis illud piè, & deuotè recitantibus hæc à Deo concedantur. Pariter ergo in noſtra præſenti reuelatione, ſeu viſione, dicimus, liberationem ab igne æterno, & ſalutem æternam promitti à Beatiſſima Virgine geſtantibus prædictum Scapulare, nôn nudè, aut materialiter, vt dictum eſt, ſed cum obſeruantia caſtitatis, recitatione Officij, vel ieiunij, aut à carnibus abſtinentijs, alijſque obſeruantijs Ordinis, vel Confraternitatis reſpectiuè. Quod eſt ſummatim dicere, piè credendum ſaluandos fore ex interceſſione Virginis Fratres, & Confratres, qui ea quæ illis præcepta ſunt ab Ordine, vel Confraternitate fecerint. Quod pium ſanè, & conforme Dei benignitati abſdubiè eſt. Quo etiam ſenſu ſimilia ferme dicuntur in Ordine ſancti Benedicti profeſſionem emittentibus, vt teſtatur Arnoldus Vvion *in Opere ligni vit.* & in Ordine ſancti Franciſci Prælatus ſuſcipiens profeſſionem dicit profitenti: *Et ego promitto tibi vitam æternam*. Et D. Anſelmus *in Meditat. Virgin.* dum dixit: *Sicut enim, ò Beatiſſima, omnis à te auerſus, & à te deſpectus, neceſſe eſt, vt intereat, ita omnis ad te conuerſus, & à te reſpectus impoſſibile eſt vt pereat*. Verbum namque hoc *impoſſibile* nec liberi arbitrij indifferentiam & poteſtatem ad vtrumlibet negat, nec aliud importat quam pium valde credulitatem de adiutorio Virginis ſanctiſſimæ pro ſalute æterna procuranda ijs, qui ſub eius protectione (quales ſunt Scapulari induti) viuunt. Dixit quondam Diuus Auguſtinus; videlicet *lib.22. de Ciuit. Dei cap.8.* ad quorundam orationes reſpiciens: *Quas Domine preces exaudis ſi has non exaudis?* Applicent hoc deuoti Virginis Matris interceſſioni pro ſuis clientulis: Præſertim cum iuxta Zachariæ Chryſopolitani dictum *Pro nullo apud Filium fruſtra interpellat*. Adhæc, ſi, vt communis Theologorum Præceptor S.Thom. *in 4. diſt.45. q.3. art.2. ad 2.* ait: *Quibuſdam ſanctis datum eſt in aliquibus ſpecialibus cauſis præcipuè patrocinari, ſicut ſancto Antonio ad ignem infernalem*; ecquis hoc ne-

negabit Diuæ Virgini Dei parenti, quæ dignitate, ſancti-tate, & meritis totam Sanctorum Cohortem ſuperat? Patrocinabitur ergo *ad ignem infernalem* (vt S.Thom. de S.Antonio inquit) effugiendum.

13 Adde præcipuè tertiò, hìc *æternum ignem* Purgatorij pœnas, ſeu ignem denotare, quæ æternæ dicuntur, quia etſi temporales ſint, diuturnæ tamen valde, quantum eſt ex parte Dei iuſtitiæ ſunt, niſi ſuffragiis, & indulgentiis redimantur. Porro *æternum* ſæpius appellari ſolitum id quod valde diuturnum, ex ſacræ Paginæ vulgariſſima phraſi compertum eſt. Etenim *Geneſ.* 17. Circumſio dicitur *fœdus æternum*, vel *ſempiternum*, quia ſcilicet per multum tempus, nempè vſque ad Chriſtum duratura. Similiter *Geneſ.* 13. & 17. dicitur Deum Hebræis daturum terram promiſſionis *in ſempiternum*, vel eſſe *promiſſionem æternam*: cum tamen non niſi per tempus conceſſa fuerit. Item *Exod.* 12. celebratio agni Paſchalis vocatur *cultus ſempiternus*, &c. & *cap.* 28. ritus ſacerdotalis appellatur *legitimum ſempiternum*, & tamen hæc omnia temporalia fuerunt. Hinc verè Angelicus Doctor 1. *p. q.* 10. *art.* 2. *ad* 2. explicans illud *Dominus regnabit in æternum, & vltra*, expreſsè fatetur ibi *æternum* ſumi pro ſeculo. Quod etiam habet Suarez *lib.* 9. *de Legibus c.* 10 *n.* 19. & pro eo videri poſſunt Abulenſis *q.* 18. *in* 12. *cap. Exodi*. Pereira *ibidem*, *& latius Geneſ.* 13. *&* 17. Si ergo ſecundum ſacræ Scripturæ vſitatiſſimam phraſim, *æternum*, ſeu *ſempiternum* non ſumitur pro eo, quod fine caret, ſed pro illo quod per multum, & indeterminatum tempus durat, aptè accommodari poteſt igni Purgatorij, & ita vocabitur *æternus*, quia per multum, & longiſſimum tempus duraturus eſt, niſi Dei miſericordia, Eccleſiæ ſuffragijs, & indulgentiis remittatur. Ac proinde in reuelatione adducta idem erit *non patietur ignem æternum*, ac non patietur ignem Purgatorij per multum tempus. Quo ſenſu accepta reuelatio coincidit cum priuilegio à Summis Pontificibus, & Eccleſia ſæpius comprobato, quòd ſcilicet Beatiſſima Virgo Maria animas Fratrum, et Confratrum poſt eorum

obi-

obitum, ſi in gratia deceſſerint, ſuis precibus ſit adiutura. Imò per illud explicatur à Summis Eccleſiæ Paſtoribus qualiter intelligenda ſit. Eodem quoque ſenſu intellecta iam primitus fuit, vt patet ex verſibus illis, quos Balduinus Leerſius ſupra recitat:

Si Ordinis in ſigno moritur quis iure benigno
Soluitur à pœnis, ducíturque locis amœnis:
Hoc impetrauit Simon à Virgine cara
Poſtea migrauit ſcandens ad gaudia clara.

14 His addere nequaquam verendum, Virgineam hanc promiſſionem Scapulari donato veluti chirographo ſubſignatam de æterna morte fugienda, ſalute ve beatitudinis impetranda ſuis deuotis clientulis, eò vel maximè veritatem continere; quòd eadem ſuperpijſſima Virgo ipſis adiutorium præbeat in agonis hora eorum, vt à mala morte liberet, ac præſeruet. Et quidni hoc dicamus? Cum ſancta Mater Eccleſia id agnoſcere videatur dum in Salutatione Angelica dicit: *Ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ*. Et in hymno: *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe?* Vnde de ſancto Alberto Drepanenſi Ordinis noſtri fulgentiſſimo ſydere, et Scapularis ſacrà veſte decorato in eius vita dicitur, quòd cum morti proximus eſſet, cæleſti hac cantione *Patronam* Mariam interpellauerit: *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu me ab hoſte protege, in hora mortis me ſuſcipe*. Hinc meritò eadem plenipotentiſſima Virgo *Angelorum Regina* iure compellatur; quòd cum Angelorum miniſterium ſit hominibus in agone conſtitutis, quia tunc (vt inquit Taulerius *ſerm. de ſancto Michaele*) *agitur de ſummarerum*, opem ferre; idcirco namque eos inuocat Eccleſia dicens: *Occurrite Angeli Domini*, Mariæ in hoc munere præceptis parent, ſibi deuotis auſpicia præbentes. Prout ex Diuo Bonauentura *in Spec. cap.* 3. elicìet lector. Hinc quoque idem Bonauentura *Pſalm.* 113. pro ſe, alijſque Virginis deuotis ſic eam imprecabatur: *In exitu animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & ſuſcipè eam. Conſolare eam vultu ſancto tuo, aſpectus dæmonis non* con-

conturbet illam. Eſto illi ſcala ad Regnum Cælorum, & iter rectum ad Paradiſum Dei. Impetra illi à Patre indulgentiam pacis, & ſedem lucis inter ſeruos Dei. Suſtine deuotos ante Tribunal Chriſti, ſuſcipe cauſam eorum in manibus tuis. Cuius rationem veluti reddens ſanctus Bernardinus Senenſis *t.* 1. *ſerm.* 42. inquit: *Adſtat talis Regina pro deuotè poſtulantibus ad intercedendum contra indignationem Iudicis, ad excuſandum defectum noſtræ infirmitatis, ad ſubueniendum accipiens pro nobis plenè influxum Diuinitatis, quam nobis infundit hic per gratiam, & in futura per gloriam.* Et Riccardus à ſancto Laurentio *lib.* 2. *de laudibus Virgin. partic.* 1. ſic dicens: *Beata Virgo Maria ſeruorum ſuorum animas de corporibus exeuntes protegit ab incurſu aerearum Poteſtatum, quibus eſt terribilis, vt caſtrorum acies ordinata, vti ſæpè legitur in eius miraculis. Fugiunt enim qui oderunt à facie eius, &, ipſa in adiutorium noſtrum exurgente, diſſipantur inimici eius, & noſtri. Cuſtodit enim exemplo Filij animas ſeruorum ſuorum, & de manu peccatoris liberabit eos. Quia qui illam amant à doloribus conſeruabit Sap.* 10. *Quare ſapienter hortatur Sapiens Prou.* 8. *Ne dimittas eam, & cuſtodiet te, dilige eam, & ſeruabit te. Videtur enim illa dicere Filio, ſicut Filius Patri: Volo Fili, vt vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus. Quare roganda eſt Maria, vt velit, qui ſi vult, neceſſe eſt vt fiat.* Proinde conſilium illud ſapiẽtiſſimum viri deuotiſſimi, Virginiſq. ſtudioſiſſimi Thomæ de Kempis *ſer.* 21. *ad Nouit.* nobis amplectendum eſt. *Eligite vobis*, inquit ille, *hanc benigniſſimam Matrem Ieſu præ cunctis Parentibus, & amicis veſtris in Matrem ſpecialem, & Aduocatam ante mortem, & ſalutate eam Angelica ſalutatione frequenter, quia hanc vocem audit valde libenter.* Addit idem Auctor huius Virgineæ ſeruitutis, ac clientelæ fructum. Ait enim pro huiuſmodi clientulis in hora mortis ſic locuturam ad Filium: *Fili mi amantiſſime, miſerere animæ famuli tui, amatoris, & laudatoris mei, ſicut tu benè noſti, & vidiſti, de cuius ore ſancti Angeli ſæpius mihi deuotæ ſalutationis gaudia nuntiarunt, qui etiam ad laudandum nomen ſanctum tuum, & meum plures ſecum fratres inuitare*

con-

Digitized by Google

conſueuit. Hic eſt Notarius noſter ſcribens ſanctos libros, & amator ſanctæ Crucis, libenter orans, & pſalmos cantans, qui audito nomine ſancto tuo, ac meo, reuerenter ſolebat ſe inclinare, ac geniculando ſalutare. Tranſiens per viam, & videns à longe Crucem memor paſſionis tuæ exhibuit tibi reuerentiam, Cruci ſeſe inclinando. Cernens etiam in Eccleſia, vel alibi pictam imaginem meam, vel te in ſinu meo iacentem, aut ſedentem, vel quaſi mortuum inter brachia mea pendentem, genuaflexit, & adorauit. Memor ergo eſto horum, Fili mi chariſſime, & da ei nunc inuenire miſericordiam coram te. Alludit et ad hoc idem Auctor dum *in lib. Vallis Liliorum cap.* 13. nomina *Ieſus*, ac *Mariæ* viaticum eſſe, et baculum tendentibus in Cælum, inquit his verbis: *Poſt hæc dulcem hunc verſiculum pro viatico aſſume, & quaſi baculum in manu firmiter tene; & ſæpe orans diligenter recole: Ieſus, & Maria ſint mecum ſemper in via, in omni loco, & in omni tempore pro bona cuſtodia, ne forte per deuia errem, diſpergarque per multa phantaſmata intus, & extra.* Iure ergo, meritoque Virgineam hanc promiſſionem ſimul cum ſacro Scapulari Beato Simoni datam interpretãdam diximus de ſuffragio fideliſsimæ Virginis tribuendo ſuis deuotis, et clientibus, in articulo præſertim mortis. Quod pius Auctor Ludouicus Bloſius *in Monili cap.* 12. nomine ipſius Virginis ſic teſtatur: *Ego omnibus qui mihi piè, & ſanctè deſeruiunt, volo in morte fideliſſimè tanquam Mater piiſſima adeſſe, eoſque protegere, ac conſolari.* In ea porrò præfata reuelatione, qua hæc promiſsio continetur, ea conſpiciuntur, quæ ſanctus Bonauentura *in Speculo cap.* 5. de eadem Almifica Virgine dixit: *In Maria eſt quadruplex gratia; gratia bonorum; gratia præmiorum; gratia priuilegiorum, & gratia labiorum.* Etenim iſthæc omnia in dulcifluis illis Mariæ verbis: *Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, in hoc moriens æternum non patietur incendium*, expoſitis, prout diximus, indigitantur. Quo pacto etiam à perdocto viro Ioanne Cheron Burdigalenſi *in Vindic. Priuilegiati Scapularis* contra ſciolum quendam, & ſuperencilioſum, exponuntur.

Mo-

15 Monendus tamen, mi lector, es, quòd quamuis ea ſola relata verba huius reuelationis à clementiſſima Virgine ſuo ſeruo Simoni dicta in hiſtoria eiuſdem à Petro Svvanyngtone edita; imo in ipſius Officio, quod Burdigalenſe Cœnobium ab anno 1435. in libris Chori ſcriptum ſeruat, & typis editum fuit anno 1580. quin & in vetuſtioribus Ordinis hiſtoricis, videlicet Guillelmo Conuentreo, Ioanne Groſſi, & Balduino Leerſio relatis, habeantur; nihilominus poſteriores, Arnoldus Boſtius, Palæonydorus, & ſequaces pia credulitate, & deuotionis affectu ducti alia addiderunt. Nempe illa: *Dilectiſſime fili*, ſeu *Prædilecte mi*, aut *Dilectiſſime meus*. Ita enim allocutam fuiſſe ſuperdulciſſimam Mariam ſuo deuotiſſimo clienti ſuſpicati videntur; cum in ipſa, vt ex Bonauentura retulimus, etiam *gratia labiorum* conſpiciatur. Imò in Hymno ad veſperas Officij relati idem indicatur dum dicitur:

Te ſuum Chriſti Genitrix Maria
Virgo dilectum vocat, & triumphos
Dum tuis ponit Scapularis amictum
Ordinis auget.

Vox etiam *ſignum* Fraternitatis ſeu Confraternitatis; etiamſi in Svvanyngtone, Conuentreo, & Groſſo non habeatur, legitur tamen in dicto Officio eiuſdem Beati Simonis, Leerſio, Boſtio, Palæonydoro, & alijs. Nec abs re ſanè, cum à ſacra Congregatione Rituum verbis illis *num.* 10. relatis, videlicet: *Nec verò nomenclaturam tantum magnificentiſſima Virgo tribuit, & tutelam; verum & inſigne ſacri Scapularis, quod Beati Simoni Anglico præbuit, vt cæleſti hac veſte Ordo ille dignoſceretur*, approbatum videatur; cum vocetur *Inſigne*, vt Ordo *dignoſceretur*, quod eſt idem: ac ſignum eſſe. Vox quoque *Priuilegium* non ſolum in eadem Reuelatione, ſed & in Oratione dicti Officii habetur, dum dicitur: *Deus, qui precibus, & meritis Beati Simonis Confeſſoris tui Carmeli Montis Ordinem per manus Genitricis Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti ſingulari priuilegio decoraſti*. Ea porrò quæ Palæonydorus, & poſteriores addiderunt: *Ecce ſignum*

ſalu-

Digitized by Google

ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni, veluti gloſſa, & expoſitio vocis *priuilegium*, & illarum *in quo moriens æternum non patietur incendium*, quæ à B. Virgine prolata fuerunt, accipienda ſunt.

16 Refert etiã idem Svvanygntonius B.Simonem poſt hanc Virginis Matris ſibi factam reuelationẽ dixiſſe ſequentia: *Et quia ſua glorioſa præſentia me lætificabat vltra captum, nec ego miſer maieſtatem eius ſuſtinere poteram, diſparendo dixit, quòd mitterem ad Dominum Innocentium benedicti Filij ſui Vicarium, qui de grauaminibus remedium præſtaret*. De quo ſingulari fauore, qui eodem tempore, anno ſcilicet 1251. contigit, prout idem Svvanygntonius refert, inferius ſpecialius dicetur *num.* 20. Refert inſuper qualiter non multò poſt tantum Reginæ cæleſtis donatiuum eidem B. Simoni collatum, cum ipſe Vvintoniam pergeret ipſo Svvanygntone comite, Petrus de Lhyntonia Decanus Eccleſiæ ſanctæ Helenæ, illis occurrerit obſecrando Beatum Simonem, vt feſtinaret adiuuare germanum ſuum (homo erat ſceleratiſſimus) qui moriebatur deſperatus, nec confiteri ſua peccata volens. *Venientes ergo* (verba ſunt Svvanygntonij) *in domum, inuenimus hominem ſpumoſum, ſtridentem dentibus, & rotantem oculos tanquam canem rabioſum, cumque videretur mori, nec haberet vſum ſenſuum corporis ſui, Beatus Pater Simon facto Crucis ſigno, & iniecto habitu ſuper languentem, eleuatis oculis petebat inducias à Deo, vt pretium Chriſti, non eſſet præda Diaboli. Et repentè ęgrotus, qui moriebatur, reſumptis viribus, bono ſenſu, & loquela, ſignando ſe ſigno ſalutari obiurgabat Dæmones, & cum queſtu lacrymabili dicebat: Heu me miſerum quantus mihi tremor damnationis æternæ, iniquitates meæ creuerunt ſuper numerum arenæ maris, miſerere mei Deus, cuius miſericordia ſuperexaltat iuſtitiam. Pater adiuua me, volo confiteri*. Poſt pauca ſubiungit idem Svvanygntonius hæc, hiſtoria noſtra digna pro virtute ſacri Scapularis, & ſingulari patrocinio Deiparæ in ſuum Carmeli Ordinem confirmandis. *Poſt confeſſionem Vvalterus ille publicè renuntiauit diabolicis pactis, & recepit Sacramenta Eccleſiæ, edendo ſigna magnæ pœnitentiæ, fecit teſtamentum, & accepta*

cepta iuratoria cautione fratris ſui Decani, ordinauit reſtitui malè ablata, & reperari iniurias quas fecerat, & circa horam octauam noctis pacificè exhalauit animam, quæ fratri ſuo hæſitanti de ſalute eius apparuit ſignificando bene ſecum agi, & quòd per potentiſſimam Reginam Angelorum per habitum Beati Viri tanquam per clypeum euaſerat inſidias Dæmonum. Fama iſtius facti volauit per totam Vrbem. Dictus Dominus Petrus de Lhyntonia confeſtim venerabili Epiſcopo Vvintonienſi cuncta per ordinem ſcripto inſinuans, eius in re tam inuſitata ſententiam expectabat; Domino verò Epiſcopo ſtupente ſuper hoc, & habente tractatum cum ſuis, iudicatum eſt Beatum Simonem debere interrogari de virtute Habitus, qui coram Domino Epiſcopo comparens, & mandatis eius obtemperando, nihil celauit, Domino Epiſcopo mandante cuncta ſcribi ſub ſigillo authentico, & prædictus Petrus Dominus Decanus, propter miraculorum ſibi per Genitricem Virginem Mariam in fratre ſuo oſtenſum, Fratres Vvintoniæ fundauit, dando eis locum, & ædificando Monaſterium noſtræ Religioni valde commodum, & amplum. Sermone verò per Angliam, & extra, currente, multæ Ciuitates offerebant nobis loca ad inhabitandum, & multi Proceres petebant affiliari huic ſanctę Religioni pro participio gratiarum, deſiderantes mori in habitu ſancti Ordinis, vt per merita Genitricis Virginis Mariæ haberent exitum vitæ bonum, atque ita paulatim Religio Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo; cœpit, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Maria Matre eius in partibus Occidentalibus multiplicari in multas prouincias Prouinciæq. in domos, domus in perſonas ſufficientes, & idoneas, quæ multum fructum afferunt ad augumentum fidei Catholicæ. Hæc grauis iſte, & perantiquus Ordinis Pater, Beati Simonis, vt diximus, comes, & Achates fidelis, ac ſincerus narrator eorum, quæ proprijs oculis conſpexerat,

17 Pangat interim, & plaudat Virginis Ordo tanto dotatus decore; habitu nempe à Deipara ipſi conceſſo, pro ſigno videlicet adiutorij ad æternam conſequendam ſalutem, modo explicato. Hincque Matrem eam agnoſcat. Matres namque ſolitas olim filijs veſtimenta præbere, ſacri, profanique Scriptores tradunt. Id de ſe teſtatur apud

Vir-

Digitized by Google

Virgilium *Æneid.9.* ea quæ arte texendi Eurialo filio veſtem dabat, dum inquit:

> *Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina, dieſque*
> *Vrgebam, & tela curas ſolabar aniles.*

Idem de Anna Samuelis matre ſacra Regum hiſtoria 1. *Reg.2.* memorat: *Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua.* Et porrò domeſticos, proindeque filios, quorum maior amor eſt, veſtiendi, inter Hebræos, matrum familias manus, curamque fuiſſe liquet, tum ex illo 3. *Eſdræ cap.4. Et ipſæ faciunt ſtolas omnium hominum*: tum *Prouerb.*31. vbi ad laudem ſedulæ matrisfamilias dicitur: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus;* illius nimirum labore, & induſtria. Sancto Edmundo Cantaurienſi Archiepiſcopo dum Lutetiæ ſtudijs operam daret, mittebat mater ex Britannia in Gallias veſtes, & cilicia. Id quoque muneris ſolicitè expleuit Sancti Cytherij mater, teſte ſancto Paulino, vbi habet:

> *Samuel & iſte creuit in templo Dei*
> *Nunc agnus, & paſtor; dehinc*
> *Contexat illi ſedulæ matris manus*
> *Ephod ſtaturæ congruum.*

Par quoque credere eſt, Virginem Deiparam Chriſto inconſutilem tunicam texuiſſe, quod plerique cum Euthymio affirmant. Hæc igitur eadem Auguſtiſſima Cælorum Regina maternis officijs ſuo peculiari Carmelitarum cœtui veſtem veluti contulit. Sanctum Ildephonſum Toletanum Antiſtitem, Bonitum Aruernorum, Amatum Senonenſem, Thomam Cantuarienſem Epiſcopos, caſula, ſui in illos amoris teſſera, iam olim donauerat. Dederat Norberto niueam veſtem, angelici candoris ſymbolum: rurſumque Cantaurienſis Thomæ cilicinam veſtem, auſterioris vitæ baltheum, diſſutam ſua manu conſuerat, detritam reparauerat. Materni iſtius muneris haud immemor, ſed beneficiorum in filios prodiga, Carmelitarum ſuorum veſtem præoſtendit eorum Generali Antiſti Simoni, dum dicit: *Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium,* &c. Quidni? Nonne idem de Reginaldo ſacri Patriar-

cepta iuratoria cautione fratris ſui Decani, ordinauit reſtitui malè ablata, & reparari iniurias quas fecerat, & circa horam octauam noctis pacificè exhalauit animam, quæ fratri ſuo hæſitanti de ſalute eius apparuit ſignificando bene ſecum agi, & quòd per potentiſſimam Reginam Angelorum per habitum Beati Viri tanquam per clypeum euaſerat inſidias Dæmonum. Fama iſtius facti volauit per totam Vrbem. Dictus Dominus Petrus de Lhyntonia confeſtim venerabili Epiſcopo Vvintonienſi cuncta per ordinem ſcripto inſinuans, eius in re tam inuſitata ſententiam expectabat; Domino verò Epiſcopo ſtupente ſuper hoc, & habente tractatum cum ſuis, iudicatum eſt Beatum Simonem debere interrogari de virtute Habitus, qui coram Domino Epiſcopo comparens, & mandatis eius obtemperando, nihil celauit, Domino Epiſcopo mandante cuncta ſcribi ſub ſigillo authentico, & prædictus Petrus Dominus Decanus, propter miraculorum ſibi per Genitricem Virginem Mariam in fratre ſuo oſtenſum, Fratres Vvintoniæ fundauit, dando eis locum, & ædificando Monaſterium noſtræ Religioni valde commodum, & amplum. Sermone verò per Angliam, & extra, currente, multæ Ciuitates offerebant nobis loca ad inhabitandum, & multi Proceres petebant affiliari huic ſanctę Religioni pro participio gratiarum, deſiderantes mori in habitu ſancti Ordinis, vt per merita Genitricis Virginis Mariæ haberent exitum vitæ bonum, atque ita paulatim Religio Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo; cœpit, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Maria Matre eius in partibus Occidentalibus multiplicari in multas prouincias Prouinciæq. in domos, domus in perſonas ſufficientes, & idoneas, quæ multum fructum afferunt ad augumentum fidei Catholicæ. Hæc grauis iſte, & perantiquus Ordinis Pater, Beati Simonis, vt diximus, comes, & Achates fidelis, ac ſincerus narrator eorum, quæ proprijs oculis conſpexerat,

17 Pangat interim, & plaudat Virginis Ordo tanto dotatus decore; habitu nempe à Deipara ipſi conceſſo, pro ſigno videlicet adiutorij ad æternam conſequendam ſalutem, modo explicato. Hincque Matrem eam agnoſcat. Matres namque ſolitas olim filijs veſtimenta præbere, ſacri, profanique Scriptores tradunt. Id de ſe teſtatur apud

Vir-

Digitized by Google

Virgilium *Æneid.9.* ea quæ arte texendi Eurialo filio veſtem dabat, dum inquit:

Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina, dieſque
Vrgebam, & tela curas ſolabar aniles.

Idem de Anna Samuelis matre ſacra Regum hiſtoria 1. *Reg.2.* memorat: *Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua.* Et porrò domeſticos, proindeque filios, quorum maior amor eſt, veſtiendi, inter Hebræos, matrum familias manus, curamque fuiſſe liquet, tum ex illo 3. *Eſdræ cap.4. Et ipſæ faciunt ſtolas omnium hominum*: tum *Prouerb.*31. vbi ad laudem ſedulæ matrisfamilias dicitur: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus;* illius nimirum labore, & induſtria. Sancto Edmundo Cantaurienſi Archiepiſcopo dum Lutetiæ ſtudijs operam daret, mittebat mater ex Britannia in Gallias veſtes, & cilicia. Id quoque muneris ſolicitè expleuit Sancti Cytherij mater, teſte ſancto Paulino, vbi habet:

Samuel & iſte creuit in templo Dei
Nunc agnus, & paſtor; dehinc
Contexat illi ſedulæ matris manus
Ephod ſtaturæ congruum.

Par quoque credere eſt, Virginem Deiparam Chriſto inconſutilem tunicam texuiſſe, quod plerique cum Euthymio affirmant. Hæc igitur eadem Auguſtiſſima Cælorum Regina maternis officijs ſuo peculiari Carmelitarum cœtui veſtem veluti contulit. Sanctum Ildephonſum Toletanum Antiſtitem, Bonitum Aruernorum, Amatum Senonenſem, Thomam Cantuarienſem Epiſcopos, caſula, ſui in illos amoris teſſera, iam olim donauerat. Dederat Norberto niueam veſtem, angelici candoris ſymbolum: rurſumque Cantaurienſis Thomæ cilicinam veſtem, auſterioris vitæ baltheum, diſſutam ſua manu conſuerat, detritam reparauerat. Materni iſtius muneris haud immemor, ſed beneficiorum in filios prodiga, Carmelitarum ſuorum veſtem præoſtendit eorum Generali Antiſtiti Simoni, dum dicit: *Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium,* &c. Quidni? Nonne idem de Reginaldo ſacri Patriar-

triarchæ Dominici Religionis alumno refert Hyacinthus Choquetius *in lib. cui titulus Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viſcera materna cap.7.* ex Roberto de Licio, Philippo Bergomenſi, Surio, Lippomano, & alijs? Apud quem etiam *cap.28.* de caſtitatis cingulo ſub nomine Angelici doctoris totius Eccleſiæ Phœbi Ordini Prædicatorum conceſſo. Nonne etiam Elias diſcipulo Eliſeo, aliiſq. filiis Prophetarum pallium in Cælos veluti abiens ſignum reliquit? Quidni faceret Elianorum pijſſima Parens in ſui Patronatus pignus? Meritò proinde ex hoc cæleſti dono eam iure *Patronam* Carmeli vocitamus.

18 Singulare quoque aliud eiuſdem præbenigniſſimæ Parentis Patronatus in ſibi addictos Eliæ filios ſignum caſus mirabilis fert, qui hoc tempore Beati Simonis Generalatus, ab eadem Virgine Scapularis decorati, vt noſtræ conſignant hiſtoriæ, contigit. Quem refert Guillelmus de Samuco Montis Carmeli ea tempeſtate Eremita, ac veluti teſtis oculatus *in Tract. de multiplicat. Ordin. cap.6.* his verbis: *Beatus autem Ludouicus Rex Francorum illuſtriſſimus dilatationem fidei Chriſtianæ ardenti deſiderio cupiens anno Domini* 1248. *contra gentem incredulam Crũceſignatus cum magno exercitu transfretauit, & tandem ad Aegyptum applicans famoſam illam Ciuitatem Aegypti, quam Damiatam vocant, anno Domini* 1249. *cepit. Vlterius autem procedens ipſe, cum ſuis captus fuit à Saracenis. Reddita itaque eis Damiata, & copioſa pecunia pro ſui, & ſuorum redemptione data de captione liberatus ad Terram ſanctam peregrè eſt profectus. Qui Sepulchrum Domini viſitans, & cętera religioſa Terræ ſanctæ loca perquirens, ad montem Carmeli aſcendens, propter laudabilem conuerſationem Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli ibidem commorantium eorum Monaſterium ex deuotione viſitauit. Poſtmodum verò, audita morte Reginæ matris ſuæ, Baronum ſuorum conſilio redire in Franciam acquieuit, & dum eſſet in mari tertia nocte prope diluculum, nauis deferens Regem retrocedendo ad biralaſſum (ideſt rupem, ſeu terræ lingulam) iuxta Montem Carmeli bina impulſione tam fortiter eſt colliſa, quod à nautis, & aliis fracta, & protinus ſubmergenda credebatur. Tanta ergo concuſ-*

ſione

ſione excitati, & perterriti quidam eorum clamauerunt, & alij ſanctum Regem genibus flexis Deum deuotè orantem inuenerunt. Cumque omnes ſubmergi indubitanter crederent, campanam Monaſterij Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli pro matutinis dicendis ſonantem in auribus ſuis reſonare ſenſerunt. Qua audita, pius Rex cuius loci campana eſſet nauarchum diligenter interrogauit, & eam eſſe Monaſterij Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli ex Nauarchi reſponſo percepit. In deuotione ergo Genitricis Dei accenſus Rex eius Monaſterium tunc viſitare promiſit, ſi ipſa ab illa graui tempeſtate eum cum alijs liberaret. Tranquillitate ergo eius meritis, & precibus in mari ſubitò facta Beata Maria eos à prædicto mortis periculo liberante, mox mitis Rex in Montem Carmeli aſcendens matutinas Fratrum magna cum deuotione audiuit. Quibus dictis pius Rex locum illum humiliter contemplans, ac prædictorum Fratrum titulo Beatæ Mariæ Virginis in toto Orbe Terrarum quoad Ordines approbatos ſingulariter inſignitorum fama laudabili, & religioſitate permotus, quoſdam eorum natione Gallicos à Priore dicti Monaſterij poſtulauit. Qui ideo deſiderabant ſanctum Regem ſequi, & fugere de loco illo ante faciem perſequentium Paganorum, quia propter graues Paganorum incurſus frequenter oportuerat eos hactenus Monaſterium illud deſerere, & ſe interdum in ſaltu Montis Carmeli abſcondere, interdum verò in Ciuitate Caiphas ſe includere. Quos vero ſex à Priore ſibi conceſſos Rex ſecum in Franciam duxit, & eis in Ciuitate ſua Pariſijs Monaſterium ædificauit. Qui alios ad ſuam Religionem recipientes in diuerſis partibus Franciæ, & Alemanniæ Monaſteria ſui Ordinis paulatim conſtruxerunt. Hæc huius æui ſynchronus auctor; cui ferè ſimilia Arnoldus Boſtius *in lib. de Patr. Virg. cap. 7.* Ioannes à Leidis *lib. 23. Chron. Belg. c. 3.* qui habetur inter Annal. rerum Belgicarum *tom. 1.* Ioannes de Malinis *in Spec Hiſtor. Ordin. cap. 8.* Ioannes de Cimineto *in Tractatulo Speculum Ordinis nuncupato cap. 7.* Palæonydorus *lib. 3. cap 6.* Ioannes Cheron *in Vindic. priuilegiat. Scapular. pag* 175. & neotherici alij Hiſtorici Ordinis cum Baptiſta Mantuano *de ſacris diebus l. 8. in feſto ſancti Ludouici*; fauet & Bzouius *ſub anno* 1255. *num* 9. Hiſtoria quoque ad longum refertur in Nicolai Manerbij Venet. le-

genda Sanctorum *in Vita eiuſdem ſancti Ludouici Regis;* et ſub compendio tangitur à Benedicto Gonono *in Chron. ſanctiſſimæ Deiparæ ſub anno* 1256. Ex qua, & deuotione eiuſdem ſancti Ludouici erga habitum Ordinis, quem etiam geſtauit, vt Annales noſtri, & Ioannes Cheron *ſupr. pag.* 177. oſtendunt, clarè innoteſcit Virginis Matris in eum Patronatus, quæ ſimiles fauores illi procurauit.

19 Prope idem quoque tempus accidit quod Palæonydorus hiſtoriographus noſter *lib.* 3. *cap.* 6. de admonitione Deiparæ Virginis erga ſuos clientulos ab ipſis inuocatæ in ſignum patrocinij his verbis retulit. *Fratres Ordinis Carmelitarum, dum in diuerſis Europę partibus fuiſſent multiplicati, præſertim in Eremo Aquilegienſi apud Maſſiliam; in Auinione quoque & in Arelata, & pluribus alijs locis per deuotorum fidelium ſubſidia Monaſterijs fundatis, plures Eccleſiarum Prælati diuerſas eis moleſtias intulerunt. At Beatiſſima Dei Mater Virgo Maria à ſuis Fratribus humiliter inuocata, apparens Priori Carmelitici Ordinis Generali, ait: Vade ad Innocentium Quartum intrepide, qui iuxta ſui nominis interpretationem partem innocentum fouere conſueuit. Igitur Virginis Chriſtiferæ conſilio, Innocentium accedentes, ab eo mira humanitate tractati, pia vota ſua conſecuti ſunt.* Similia alii hiſtorici Ordinis, ſpecialiter B ſtius *in lib. de Patronat. Virg. in Carmel. cap.* 9. Qui omnes illa deſumere potuerunt ex ipſis antiquiori, & Beato Simoni coæuo Guillelmo de Sannico Carmeli Eremicola *in Chronica de multiplicat. Ordinis c.* 7. & de exteris Abraham Bzouius *tom.* 13. *Annal. ſub anno* 1245. *in vlt.* Maximè verò Ioannes Trithemius Benedictinus Abbas Spenheimenſis, qui *in libro de laudibus Carmelit. cap.* 9. ſic rem deſcribit: *Creſcente itaque per Europam Ordine, & numero Fratrum multiplicato, inuidens bonorum ſtudijs Diabolus perſequi Fratres non ceſſabat; & quod per ſe agere non potuit, per malos homines ſubordinauit. Concitauit ergo contra eos Sacerdotes Eccleſiarum Rectores, qui eos in ſuam poteſtatem conabantur redigere, & veluti ruſticos legibus Parochialibus ſubiugare. Vſque adeo hęc præſumptio inualuit, vt Carmelitis interdiceretur publicè, ne mortuos ſuos ſepelirent in Conuentibus, niſi Parochialium prius ſoluiſſent iura.*

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiarum. Interdicebant præterea inuidi Sacerdotes, ne quis paupertati Fratrum ſuccurreret, quaſi non in ædificationem, ſed in deſtructionem fidelium transmigraſſent. Conquerebantur Fratres afflicti Diœceſium Epiſcopis, ſed fruſtra. Omnes enim ſua quærebant, omnes delere Ordinem funditus cogitabant, ſua, non Reipublicæ commoda præ oculis habentes. Quid iam facerent Fratres tui, Virgo Domina mundi? Quo ſe verterent vndique tribulati? Quem calamitatum ſuarum aduocatum inuocarent? Inuocabant homines, ſed non erat, qui adiuuaret, ſingulis ſua quærentibus. O quis metus tunc Fratres tenebat, cum ſe de Iudæa expulſos inter Chriſticolas odio haberi cernerent! Deſolati ab hominibus te Matrem miſericordiæ inuocabant, ſpem ſuam in te totam collocantes. Nec fruſtra. Quemadmodum enim, cum ſis fons pietatis, obliuiſci potuiſſes Fratres tuos, filios tuos, viſcera tua? Vocaſti ergo vnum ex eis, quem cæteri ſequebantur ducem, eumque ad Sedem direxiſti Apoſtolicam, bonam de rebus confidentiam repromittens. Nec vana, ſed certa promiſſio. Direxiſti viam Apoſtolici tui, præueniſti eum in benedictionibus: Vicarium Filij tui quid faceret, præmonuiſti. O ſancta, & verè digna conciliatio, quæ originem non ex hominibus, ſed ex Dei ordinatione recepit. Auditis Summus Pontifex neceſſitatibus Fratrum, æmulos, & detractores eorum Apoſtolica Maieſtate compoſuit, & Ordinis tranquillitati in poſterum largiter prouidit. Quid nunc dicis, tortuoſe coluber, qui ſanctum Carmeli Ordinem te poſſe delere ſperabas? Vbi eſt præſumptio tua, qua Religionem Dei Genitrici conſecratam conabaris euertere? Confuſus es, & omnes Conſiliarij tui Dei virtute humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.

20 Si hæc viſio Generali facta non eſt diuerſa ab ea, quæ ſupra *num.* 16. ex Suvvanygntonio eſt adducta, vtique eodem ann. quo Scapulare datum Beato Simoni à Virgine fuit, eidem Simoni contigit, videlicet eo anno 1251. Ac ſpes in Innocentium Quartum reiecta nec ipſum, nec ſodales fefellit, pia Matre ſtante promiſſis. Namque, vt Guillelmus relatus inquit: *Pontifex Fratribus compatiens ſcripſit Prælatis idibus Ianuarij 1252. mandans eis, vt ſuper præmiſ-*

ſis pium fauorem Fratribus impenderent, & moleſtatores eorum per cenſuram Eccleſiaſt. appellatione poſtpoſita compeſcerent. Bullam habet lector in Spec. Ordinis *fol.* 38. poſt quam relatam Guillelmus ſic pergit: *Dum autem Fratres Innocentij Papæ Quarti litteras Dominis Prælatis præſentabant, Prælati illi, qui Fratribus fuerant prius fauorabiles, multo magis tunc ſe eis fauorabiles reddebant: & ſubditos ſuos, qui præſtabant Fratribus impedimentum ædificandi in eorum Parochijs Eccleſiam, & habendi campanam, & cœmeterium ad opus Fratrum, dicti Prælati à præmiſſis grauaminibus efficaciter compeſcebant: cohibebant etiam Curatos illos, qui à Fratribus, & ab eorum Monaſterijs ſeruitutes graues, & importabiles exigebant. Similiter Prælati, qui fuerunt prius Fratribus duri, viſis prædictis litteris dicti Summi Pontificis ſubditos ſuos à præmiſſis grauaminibus ceſſare faciebant. Propter quod Fratres à prædictis diabolicis tentationibus liberati in Monaſterijs, quæ iam receperant, diuina in pace celebrabant, & nihilominus noua Monaſteria ſenſim recipiebant. Sicque paulatim hanc Religionem in diuerſis fidelium regionibus per Europam multiplicabant*. Hæc porrò, & ſimilia, Mariani Patrocinij in Carmeli alumnos ſigna fuiſſe quis refragabitur?

21 Celebre quoque aliud circa idem tempus Mariani auſpicij in clientulos Carmeli propagines, contigit miraculum, quo vel vno Patronatus Mariæ in noſtrates comprobari poſſet; quodque Ioannes Hyldesheym auctor à 300. annis celebris *in Tract. contra detractores ſui Ordinis c.* 15. ſic deſcripſit: *Primò ſcias quod apud vrbem Toloſam in Occitania lingua celebrem adhuc ibidem nobis locum non habentibus erat reſidens Iudæus diues, & ad ipſum confluebant cęteri, cum eſſet honorabilior omnium, & habuit ipſe pomerium domui ſuæ vicinum, in quod ſæpius pro ſolatio ire conſueuit. Semel cum ſolus in horto deambularet arborem quandam pulcherrimam delectabiliter intuitus, in ipſius ſummitate vidit Imaginem Virginis valde ſpecioſam, puerum in vlnis tenentem; mox igitur attonitus apprehenſa ſcala dum aſcendere voluit arborem, diſparuit Imago, cumque deſcendiſſet iterum vidit Imaginem, & cum aſcendere vellet, iterum diſparuit. Cumque ſæpius hoc accidiſſet Iudæo duxit noctes inſomnes, neſciens quid hoc* pra-

prætenderet. Erat autem in villa quidam Sacerdos magnę ſanctitatis & opinionis Beatæ Virgini ſpecialiter deuotus, cuius & fama Iudęum non latuit; quem ſecretè Iudęus acceſſit, propoſuit factum; reſpondit Sacerdos, verè ſignum eſt, quod glorioſa Virgo Maria vult habere ſeruitium perpetuum in area tua, vbi ſæpius eſt blasphemata. Dixit Iudęus: Quid igitur faciam? Reſpondit Sacerdos diuinitus doctus: In hac Villa Fratres Beatæ Mariæ Virginis Conuentum nondum habent, quibus aream tuam dabis, & Ordinem eorum intrabis. Iudæus igitur habita deliberatione ſingula compleuit. Fratres igitur vocati venerunt, locum acceperunt, Iudęum cum vxore, & liberis baptizari, & locum ſecretè conſecrari procurauerunt, & campanam erectam pulſauerunt. Quod vt Officialis Regis Franciæ Capitaneus Villę percepit, aduenit præcipiendo Fratribus, quod exirent: quod cum facere nollent, circumdedit eos, & incluſit. Nihil igitur de victualibus habuerunt præter id quod homines deuoti nocturnis temporibus ipſis per ſcalas, vel aliunde furtiuè miniſtrauerunt, complentes in hoc opera miſericordiæ, in quibus dicitur: in carcere eram & viſitaſtis me. Habemus autem Antiphonam: Aue Stella matutina, peccatorum medicina, &c. quam in laudibus canimus, in qua continentur hæc verba: Tu nos in hoc carcere ſolare propitia: Quæ cum iuxta morem eleuatis oculis ad Beatæ Virginis Imaginem deuotiſſime decantarent, omne illud quod eos exire prohibuit, corruit, ſicut muri Ierícho quondam corruerunt: oculi verò Capitanei, qui ipſos incluſerat, per neruos in maxillis pependerunt, ſedes proprias exeuntes. Cumque nunciaretur Capitaneo quod factum eſſet, reſpondit: Bene habeo partem meam: fecit igitur ſe duci ad locum Fratrum, & coram altari proſtratus petijt orationem ipſorum. Fratres verò Beatam Mariam inuocantes alacriter: Salue Regina decantauerunt, & cum venirent ad iſtum locum: Illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, confeſtim oculi prædicti Capitanei loca priſtina, cunctis qui aderant videntibus, reintrauerunt. Intrauit igitur Capitaneus Ordinem noſtrum cum ſubſtantia ſua tota. Multis ibidem Beata Virgo cœpit coruſcare miraculis, & adhuc multipliciter coruſcat, vt ſciunt homines qui ſunt in partibus illis; ibique non parui valoris ædificatus eſt Conuentus ad honorem Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, cuius nomen ſit bene-

Digitized by Google

dictum in æuum. Hæc iſte grauis, & peruetuſtus auctor, digna ſanè Mariani patrocinij in ſuum Carmelitarum Ordinem. Notet porrò in illis pius lector Antiphonam illam *Aue Stella matutina* Ordinis propriam eſſe, & à Beato Simone Anglico, cui ſanctiſſima Parens Scapularis priuilegia conceſſit, compoſitam, vt alibi dicetur. In qua propterea dicitur: *Contra tela inimici Clypeum pone ſalutis, tuæ titulum virtutis*, ad ipſum nempe Scapulare reſpiciendo.

22 Refert quoque *in eodem Tractatu cap.* 15. idem Ioannes Hyldeſeymenſis non ſolum vetuſtus, ſed etiam pietate celebris auctor (vtique, qui Beati Petri Thomæ Conſtantinopolytani Patriarchæ alumnus extitit) præclarum aliud Deiparæ eiuſdem patrocinij in pauperes Carmeli deuotos ſignum, quod ea auſpicante contigit apud Montem Peſſulanum in Gallijs; hiſce verbis: *Præterea grande miraculum contigit ad propoſitum apud Montem Peſſulanum, qui locus à Toloſa non multum diſtat. Mons Mari ille vicinus eſt; ob hoc ſunt ibi maiores, & frequentiores tempeſtates: Ciues igitur quatenus minus per hoc læderentur in quoddam Turris eminentis pinnaculo multas Reliquias includendo poſuerunt, inter quas erat magna pars Ligni Crucis Chriſti: ſemel poſtea tempeſtas magna venit, pinnaculum fregit, Reliquias per campum diſperſit. Exierunt ergo Canonici principalioris Eccleſiæ ſacris induti cum Crucibus, & proceſſione, quatenus Reliquias requirerent, & retollerent: cumque Lignum Crucis prodeuntibus radijs inueniſſent & tollere vollent, ſaltauit procul, & leuari noluit: cumque ſequerentur iterum ſaltauit ſimiliter, & ſæpius fecit: tentauerunt hoc alij Clerici, Religioſique diuerſorum Ordinum, qui tollere non potuerunt. Habebant pro tunc noſtri Fratres ibidem locum nouum, & erant penitus in re pauperes, & in bona vita locupletes: erat autem inter eos quidam Frater excellentis deuotionis, qui reliquis Fratribus dixit, vadamus & nos pro Ligno Domini, nam & in hac nocte Beata Virgo mihi per viſionem locuta eſt: Volo quod Fratres mei ſoli tollant Crucem Filij mei. Proceſſerunt igitur humili Cruce, & humili habitu, nec ſanctum Lignum vt antea ſaltauit, ſed ſe quaſi ſponte capi permiſit.*

Fra-

Fratres itaque læti Dominicum Crucis lignum cum Canonicis ad Conuentum portauerunt, & retinuerunt; vbi etiam cœpit coruſcare miraculis, nec ceſſat vſque in præſentem diem.

23 In Anglia etiam nobiliſſima Regione, vbi fides, pietas, & Religio olim ſplendidè fulgebant, ſubſidium aliud Mariani Patronatus in Carmeli Religionē circa an. Domini 1314. mirificè ſplenduit, fundatione Regij Oxonienſis Cœnobij opera Eduardi Regis ob gratiam receptam ab eadem Deipara Patrona. Hiſtoriam referunt Boſtius in ſuo illo *de Patronat. Virg. libro in Carmel. cap.* 7. pro ea quoque afferens teſtimonium Summi Pontificis Ioannis Vigeſimi-ſecundi, Ioannes Cherron *in Tract. priuileg. Scapul. pag.* 187. Sed libet eam verbis Abrahami Bzouij exteri auctoris *t.* 14. *Annal. ſub ann.* 314. *num.* 6. dum de Eduardo Secundo Rege loquitur, eam referre. *In maiores ſe poſtea Eduardus anguſtias coniecit. Domi itaque à principibus, foris à Scotis impugnatus, habuit quo angeretur. Scoti enim ex inteſtinis Anglorum diſcordijs ſumpto animo in Angliam violentis impreſſionibus per hæc tempora incurrerunt, quos dum reprimere conaretur Edoardus, inſignem, & memorabilem ſemel, ac iterum exercitus ſui cladem accepit, & ægrè quidem ſuæ ſaluti fuga conſuluit. Hic cum prioris illius infauſti prælij difficultate premeretur, Diuæ Deiparenti Mariæ Virgini religioſa ſponſione vouit, ſe in Chriſti, & illius honorem Aedes conſtructurum, vbi* 24. *Carmelitis, qui rei Theologicæ operam darent, idoneos ſumptus ſuppeditaret, ſi ab imminente calamitate eriperetur. Ab hac Dei benignitate, & Virginis Matris interceſſione ereptus, ſponſionem deuotam repræſentauit, Aedeſque illas votiuas Oxonij conſtruendo voto ſe liberauit.* Addit Cherron, quem adduximus, erexiſſe hunc Regem Monaſteria Carmelitis Suttonæ, Schorræ, Hyſichiæ, Scardeburgiæ, & Caliſæ. Et Boſtius relatus fundaſſe etiam eundem Eduardum Cœnobium Caliſiēſe, & Scapulare Ordinis occultè geſtaſſe ſingulari Deiparæ Virginis apparitione motum, de qua modò. Ea enim fuit Mariani præſidij ſingulariſſima teſſera, ac eiuſdem

Virginis Patronatus in Eliæ alumnos manifeſtum indicium Summorum Pontificum diplomatibus, Scriptorum teſtimonijs, magnoque Chriſtiani populi conſenſu decantatiſſimum.

24 Erat prope annum 1315. inter purpura inſignitos Patres Cardinales vnus Iacobus Oſſa Gallus Caturcenſis in Aquitania natus, fortuna humilis, corpore paruus, prudentia tamen, ingentique doctrina præſtans, corde magnus, acris & ſolertis ingenij (Ciaconius *in Vit. Pontificum in Ioan. XXI. dict. XXII.*) hic cum grauiſſimis difficultatibus Summi Pontif. electionem irretitam eſſe illo interpontificio, ſedeque vacante videret, ad gratiæ thronum, & miſericordiæ aſylum Beatiſſimam Virginem deuotè orando recurrit: forſan (quod humanum eſt) Supremum apicem ſibi ob fines honeſtos deſiderabat, idque deſiderium piæ Matri proponebat. Aſtitit ergo Angelorum Regina, & Papatum promiſit, libertatemque ab aduerſario, hac tamen pactione, vt Carmelitis Regulam firmaret, & magnam indulgentiam à Purgatorij pœnis quædam pia opera exercentibus concederet. Sic ex traditione hiſtoriarum, & Hiſtoricorum habetur acceptum, & approbatum. Ab exteris quidem multis, ſpecialiter Honuphrio Meneſcal *in Concione Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli*, Gabriele Prateolo *tom. 2. hiſtor. de ſtat. Eccleſ. ad ann.* 1324. Benedicto Gonono Cæleſtino recenti auctore *in Chronic. ſanctiſſimæ Deiparæ anno* 1321. Bullam afferente; Andrea Duuallio *de infallibilit. Rom. Pont. q.* 5. indigitante; Ioanne Carthagena *lib.* 17. *hom.* 2. *obiect. vlt.* vindicante, Hippolyto Marriacio *in Pontificibus Marianis in Ioanne Vigeſimoſecundo Papa*. De noſtris verò antiquioribus eius meminerunt Ioannes Hornebius *in Opuſc. de Miſericordia Virginis* ad ann. 1375. Thomas Lombe ad ann. 1387. *in lib. cui titulus Mariæ memoria*, Gualtherus Hunte *in Chron. lib.* 6. ad ann. 1478. & Thomas Scrope Epiſcopus Dromorienſis ad ann. 1488. ſic enim eos refert, & ſequitur egregius auctor Ioannes Cheron *in Vindicijs Scapularis priuilegiati pag.* 96. Quos etiam moderni-

niores alij æmulantur. Ex quibus Ioannes Palæonydorus *lib.3.cap.11.* caſum ſic refert: *Glorioſiſſima Dei Genitrix, Virgo perpetua, Carmelitarum Patrona, & Mater ſingulariſſima addens adhuc glorificare Ionatham, ideſt Columbam, Ordinem ſcilicet Carmeli candore, & prudenti ſimplicitate inſignem, memor dierum antiquorum, Eliȩ, & ſuorum deuotorum fidelium apparens Domino Ioanni XXII. ante Papatum dixit: Vidi tuam ad me deuotionem: veluti igitur ego te ab aduerſario tuo liberabo, ad altiſſimum te promouens ſtatum, ſic videas ſimilem Fratribus meis vicem Eliæ filijs refundas. Regulam ab Elia, & Eliſeo in Monte Carmeli inchoatam, & per ſeruum Albertum ſcriptam, & confirmatam ſolidè approbabis. Inſuper, me, & Filio meo iubente priuilegium dabis, vt quicunque Ordinem meum intrauerit, à culpa, & pœna liberatus in ȩternum ſaluus fiat.* Eandem etiam refert, & approbat viſionem Ioannes Balæus, auctor quidem ab Eccleſia damnatus, ſed in noſtris hiſtorijs verſatiſſimus, quem ſimilis farinæ Sectarius Lydius Veteraquinus nouiſſimè circa annum 1615. eiſdem quoque verbis æmulatur. Balæus ergo iſte *in Catalogo Scriptor. Britanniȩ Centur. 4. in Appendic. ad Robertum Baſton*; loquens de Ioanne XXII. (quem ipſe XXI. vocat) hæc habet, more ſuo veritatem hiſtoriæ cum impudica maledicentia intermiſcens. *Carmelitas aſſumpſit in ius, & proprietatem ſancti Petri ab omni Ordinariorum dominio, vt ſoli Sanctiſſimo ſubijciantur tanquam filij dilectiſſimi, pluresque eorum Epiſcopos fecit, Guidonem Perpinianum, Ioannem Claranum Catalanum, atq. aliarum nationum alios. Nam mirabilem ante Papatum (auctore Diabolo) viſionem habebat, vt in Bulla teſtatur, quod Maria Virgo in magna Cardinalium contentione ab aduerſarijs illum liberaret, ac Papam faceret, hac tamen pactione, vt hos ſuos Fratres à Purgatorio ſeruaret immunes.* Quod homo iſte hanc viſionem dicat auctore Diabolo fuiſſe, mirabile in eo non eſt, cui hæreſis cœcitate turbatus oculus bonũ malum, malum bonum, tenebras lucem, & lucem tenebras creberrimè iudicat, in rebus quoque alijs maioris ponderis, & ad Eccleſiæ dogmata ſpectantibus. Quod verò de liberatione à pœnis Purgatorij intelligat conceſſionem Carme-

litis

litis à Papa Ioanne factam, rectiùs ſentit, verba etenim illa huius viſionis, prout à Palæonydoro relata: *Quicunque Ordinem meum intrauerit, à culpa, & pœna liberatus in æternum ſaluus fiat*, eo ſolùm ſenſu accipienda ſunt, vt ſcilicet ingreſſi Religionem, eaque ab ipſo Pontifice ex præſcripto eiuſdem Virginis intimata ſeruantes, ſi in gratia, & charitate diſceſſerint, à Purgatorij pœnis quantocyus liberandi, ac vitam æternam conſecuturi ſint. Vnde illa, *In æternum ſaluus fiat*, nullatenus denotāt per ſolū Religionis ingreſſum ſaluum aliquem fieri. Hic enim ſenſus à Beata Virgine, & Catholica fide alieniſſimus eſt, & propterea nunquam à noſtris intentus, nec proferendus. Ea ergo dumtaxat ratione hæc verba accipienda, ſicut & illa eiuſdem Virginis ad Beatum Simonem de Scapulari Ordinis aientis: *In hoc moriens æternum non patietur incendium*. Id eſt (iuxta dicta de hac viſione ad eundem Simonem facta) primò, poſitis alijs neceſſariis ad ſalutem: ſecundò, quantum eſt ex parte interceſſionis ipſius Virginis; tertiò, niſi per illum qui habitum geſtauerit, aut Ordinem ingreſſus fuerit, ſteterit; quartò, vt intelligantur ea verba de ijs, qui non ſolum *materialiter, nudè*, & *literaliter* habitum ſuſceperint, aut Ordinem profeſſi fuerint; ſed de illis qui *formaliter*, & *ſpiritualiter*, vita, moribus, & actibus, quoad fieri poſſit, ita ſe cum eadem Beata Virgine conformes reddiderint, vt ipſius filij, & Fratres merito dici poſſint; ac ſpecialiter ea obſeruauerint, quæ eadem pijſſima Virgo eidem Summo Pontifici Ioanni Vigeſimoſecundo præſcriſit, & tam ipſe Ioannes, quam Alexander Quintus, Clem. VII. Gregorius Decimustertius, & Sedes Apoſtolica poſtea declararunt, iuxta dicenda in ſequentibus. Verba quoque illa *te ab aduerſario tuo liberabo*, quæ retulit Palæonydorus, melius à Balæo, & ſuo aſſecla Lydio intellecta videntur, pro *aduerſario* dicētibus *aduerſarijs*, quia verè à pluribus aduerſariis Ioannes hic Papa liberatus eſt. Videlicet (vt Ioannes Cheron *in Vindic. Scapular. priuileg. pag.* 81. recenſet) ab Hugone Gerardi, & Guidone Tarlati Epiſcopis, Galeazio, Friderico,

rico, Caſtracaneo, & Paſſerino Italiæ Dynaſtis; ac præſertim à Cardinalibus, qui ipſius Papatui obſiſtebant; Ludouico Bauaro Imperatore prætenſo, qui armis, & potentia Papam, & Eccleſiam Catholicam, ac pro eis ſtantes deprimebat; Petro de Corbario Antipapa contra ipſum ſurgente, ac Guillelmo Ochamo ipſi infenſiſſimo, prout hiſtoriæ, & Ann. noſtri tradunt. Hac ergo habita reuelatione, cum ad Pontificatum euectus fuiſſet, Carmelitis Regulam confirmauit, in ſolido ſtatu ipſorum Religionem permanere decreuit, tertiam partem peccatorum Fratribus, Confratribus, & Sororibus Ordinem ingredientibus conceſſit, ipſumque Ordinem, omniaque eius bona in ius, & proprietatem Beati Petri, & Apoſtolicæ Sedis aſſumpſit; ſolique Romano Pontifici, dictæque Sedi tam ſpiritualibus, quam temporalibus immediatè ſubiacere præcepit, ac denique eandem pijſſimam Virginem Sabbato poſt eorum obitum animas ipſorum à Purgatorij pœnis liberaturam confirmauit, & roborauit. Extant hæc diplomata in Mari magno, & in Speculo Ordinis, & illud de adiutorio Virginis Sabbato poſt mortem Fratrum, Confratrum, & Sororum inſertum extat in alio Alexandri Quinti die ſeptima Decembris Pontificatus anno primo, vbi prædictam Ioannis Vigeſimiſecundi conceſſionem refert, & referendo confirmat. Cuius Alexandri Quinti diplomatis authenticata copia Drepani anno Domini 1527. die 19. menſis Septembris per Nicolaum de Ferrario Iuris vtriuſque Doctorem, & Iacobum de Ianifera Drepanitam Regium Notarium in Regno Siciliæ; & alia Meſſanæ anno 1443. die 5. Auguſti per Pantaleonem de Stagno Iuris vtriuſque Doctorem, & Matthæum de Pagliarino Notarium; item alia authenticata copia Maioricæ anno D. 1421. per Petrum do Terranoua, & Paulum Tumbegerium de Placentia, habentur in noſtro Conuentus Tranſpontinæ Archiuio. Imò male feriatus ille Balæus, de quo ſupra, *in Catalogo Scriptor. Britanniæ Centur. 5. in Appendic. ad Nicolaum Trineth* de hoc diplomate ſic ait: *Iſtam apparitionem cum inauditis indulgentijs, &*

anima-

animarum Purgatorio liberationibus in quolibet eius feſto, & in Sabbathorum Miſſis in quadam Bulla legi tam in Anglia, quàm in Hannonia. Quæ etiam Romæ anno 1530. *ſub Clemente Septimo renouata fuit.* Impudiciſſima alia, quæ ibi ſubiungit, omittimus, ſicut & ſcurrilia illa: *Franciſci vulnera, & Dominici cilicium ad hæc comparata nihil ſunt.* Solum ergo admittenda, quæ de Clemente Septimo refert.

24 Is enim Pontif. an. 1528. in confirmationem huius Deiparæ Virginis, & prædeceſſorum Ioannis XXII. et Alexandri V. priuilegii diploma aliud cōceſſit, quod in Archiuio Ordinis apud Tranſpontinam ſeruatur, et Emmanuel Rodriguez *tom.2. qq. Regul.q. 96. art.7.* refert, cuius hæc ſunt verba: *Dilecti filij Nicolaus Audet Generalis, ac Prouinciales & Priores domorum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, iuxta morem dicti Ordinis, necnon Confratres vtriuſque ſexus Confraternitatum in Eccleſijs domorum, ſeu domibus eiuſdem Ordinis inſtitutarum, nobis nuper exponi fecerunt, quod aliàs felicis recordationis Ioannes Papa Vigeſimusſecundus, & Alexander Quintus Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibns, qui Confraternitatem de Monte Carmelo intrare, ſeu Confratrum Confraternitatis eiuſdem numero adſcribi, ipſiuſque ſtatuta obſeruare, ac habitum dicti Ordinis deferre, ſeque Fratres, & Sorores dicti Ordinis appellare, ita quod ſi mulier Virgo caſtitatem, vidua verò continentiam, coniugata autem matrimonij iura, prout ſancta Eccleſia præcipit, à tempore eorum ingreſſus inuiolabiliter ſeruare velle promiſerint, & obſeruauerint, tertiam partem ſuorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac die, quo à ſeculo huiuſmodi Purgatorium acceſſerint, ipſaque Virgo glorioſa Dei Genitrix Maria Sabbato ſequenti poſt ipſorum Confratrum, ſeu Religioſorum, ac Sororum obitus viſitando, à pœnis Purgatorij huiuſmodi eorum animas liberabit, quodque Confratres ipſi gratiarum earumdem prædeceſſorum participes fieri volentes, horas Canonicas iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini conceſſam, & ordinatam recitare, ignari verò literarum diebus, quibus ſancta Eccleſia ieiunare præcipit, necnon quarta feria, & Sabbato tempore*

porè vitæ eorum: præterquam die, in qua ex ferijs prædictis Natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti occurrere contigerit, à carnibus abſtinere debent. Poſtea verò idem Clemẽs Septimus in Bulla *ex Clementi* anno 1530. pridie idus Auguſti magna priuilegia Ordini noſtro Fratribus, Monialibus, & Confratibus concedens priuilegium illud de adiutorio Virginis poſt eorum mortem aliquo modo moderatus eſt. Etenim, etſi in priori Bulla relatis verbis illud conceſſerit, & ex illis ſimplices aliqui exiſtimare poſſent Virginem clementiſſimam non alio tempore niſi Sabbato poſt Fratrum, & Confratrum obitum, nec aliter niſi eos in Purgatorio exiſtentes corporaliter, & præſentialiter viſitando, hoc ſuffragium illis præſtituram, ideo in hac poſteriori id explicuit hoc modo: *Ac ipſa glorioſiſſima Dei Genitrix ſemper Virgo Maria ipſorum Confratrum, ſeu Religioſorum, ac Sororum animas poſt eorum tranſitum ſuis interceſſionibus continuis, pijs ſuffragijs, & ſpeciali protectione adiuuabit.* Ablatis ſcilicet illis verbis, *die quo à ſeculo eiuſmodi Purgatorium acceſſerint*, & illis, *eos viſitando*, ac, illis *Sabbato ſequenti*. Quorum loco, in hac poſteriori Bulla ſolum dicitur, *poſt eorum tranſitum*. Similiter ea quæ in priori Bulla habentur *à pœnis Purgatorij huiuſmodi eorum animas liberabit*, in poſteriori ſic mutata ſunt: *Suis interceſſionibus continuis, pijs ſuffragijs, & ſpeciali protectione addiuuabit*. Ad denotandum videlicet Deiparam ſanctiſſimam non præſtituram huiuſmodi adiutorium auctoritate abſoluta, quæ indicatur illo verbo *liberabit*, ſed per modum ſuffragii, intercedendo pro ipſis *ſuis continuis pijs ſuffragijs, & ſpeciali protectione*, prout inquit Pontifex; & notant Rodriguez *ſupra*, & Cyprianus à ſancta Maria *in Theſaur. Carmelitar. cap.* 19. Et ſi aliàs eodem verbo, vel ſimili vtatur Eccleſia, dum eam inuocat dicens: *A periculis cunctis libera nos ſemper, Virgo glorioſa*; & alibi: *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe*. Vnde hæc poſterior Bulla prioris correctio, ſeu explicatio eſt, & ipſi plenior fides adhibenda, eique ſtandum, non ſolum quia ea habetur duplicata in Archiuio Tranſpontinæ, & in Laertio Cherubino

tom. 1.

tom. 1. *Bullarij* inter Bullas Clementis Septimi *num.* 31. ſed etiam quia impreſſa Romæ fuit apud impreſſores Camerales anno 1577. cum authenticatione Alexandri Riarij Patriarchæ Alexandrini, & Auditoris Generalis Curiæ. In ea etiam adiungit Pontifex conditiones à Beatiſſima Virgine, & ſuis Prædeceſſoribus Ioanne Vigeſimoſecundo, & Alexandro Quinto poſitas, ac in priori Bulla relatas.

25 Poſtea verò Gregorius Decimustertius in Bulla *Vt Laudes* anno 1577. edita, quam etiam refert Rodriguez relatus idem priuilegium confirmauit. Inter ea namque, quæ ibi approbauit, & confirmauit, ſunt hæc: *Idemque Ioannes XXII. pro omnibus animabus, quæ in Purgatorio exiſtunt, & habitum huius Religionis, & eorum Confraternitatem ingreſſi fuerunt, vel Confratrum numero adſcripti in honorem eiuſdem Beatæ Mariæ Matris Dei, die Sabbati poſt earum tranſitum intercesſionibus continuis, pijs ſuffragijs, & meritis, ac ſpeciali protectione adiuuandis publicauit, corroborauit, & confirmauit.*

26 Quia verò tempore Pauli Quinti Pontificis Maximi quidam non rectè de huiuſmodi priuilegio informati in Luſitaniæ partibus non permittebant Ordinis noſtri Concionatores illud promulgare, re Romam delata, vtrimque grauiſſimè agitata, matureque diſcuſſa à S. Eminentiſſ. Dom. Cardinal. S. & vniuerſalis Inquiſitionis Congregatione, inſtantibus etiam per litteras ad Summum Pontificem, Cardinalem Millinum Ordinis Protectorem, & Comitem de Caſtro Regis Catholici Oratorem eodem Catholico Rege Philippo Tertio; & ad Regis Chriſtianiſſimi Oratorem, vt rem obnixè cum Papa ageret, Maria Medices Galliarum Regina Henrici Quarti vidua relicta, hoc decretum die vndecima Februarij anno 1613. exijt: *Fratribus Ordinis Carmelitarum permittatur prædicare, &c. quod populus Chriſtianus poſſit piè credere de adiutorio animarum Fratrum, & Confratrum ſodalitatis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo; videlicet, Beatiſſimam Virginem animas Fratrum,*

Digitized by Google

trum, & Confratrum in charitate decedentium, quæ in vita habitum geſtauerint, & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint; officiumque paruum recitauerint, vel ſi recitare neſciant, Eccleſiæ ieiunia obſeruauerint, & feria quarta, & Sabbato à carnibus abſtinuerint, niſi vbi in iſtis diebus Natiuitas Domini inciderit, ſuis interceſſionibus continuis, pijſque ſuffragijs, ac meritis, ac ſpeciali protectione poſt earum tranſitum, præcipuè in die Sabbati, qui dies ab Eccleſia eidem Beatiſſimæ Virgini Mariæ dedicatus eſt, adiuturam. Hinc etiam S. Rituum Congregatio ſępius in Officio Commemorationis ſolemnis eiuſdem ſanctiſsimę Deiparæ Virginis hæc in lectione 6. approbauit: *Non in hoc tantùm ſeculo Ordinem ſibi tam acceptum multis prærogatiuis Beatiſſima Virgo inſigniuit, verum &. in alio (cum vbique & potentia, & miſericordia plurimum valeat) filios in Scapularis ſocietatem relatos, qui abſtinentiam modicam, preceſque paucas eis præſcriptas frequentarunt, ac pro ſui ſtatus ratione caſtitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne Purgatorio expiantur, ſolari, ac in cæleſtem patriam obtentu ſuo quantocyus piè creditur afferre.* Propterea quoque hoc ſingulare Carmelitarum priuilegium de exteris prædicant Ioannes Carthagena 4. *tom. homil. homil. de Beata Virgine de Monte Carmeli*, Georgius Coluenerius *in Kalendario ſacratiſſimæ Virginis Mariæ pro die* 3. *Martij*, & nouiſſimè Laurentius Chryſogonus Dalmata Ieſuita *in Mundo Mariano par.* 1. *diſcur.* 17. *num.* 76. in Indice verbo *Scapulare* dicens: *Scapulare geſtantes prima die Sabbati ab eorum morte è Purgatorio liberantur.* Quibus ſimilia alius eiuſdem Inſtituti ſcriptor Placidus Samperus *in Iconologia Virgin. lib.* 4. *capit.* 32. Quæ tamen non niſi iuxta dicta accipienda.

28 Sed quidni dicamus præclementiſſimam Matrem ſuorum Carmeli Fratrum, & Confratrum animas in Purgatorio detentas *ſuis interceſſionibus continuis, pijſque ſuffragijs, meritis, ac ſpeciali protectione adiuturam*, prout ſacra Congregatio ſanctæ Inquiſitionis declarauit? Cum ipſa veluti ſpecialis Purgatorij Domina ſit, ſuos inde deuo-

tos

tos liberans; quemadmodum ſanctus Bernardinus Senenſis *tom. 3. ſerm. 3. art. 2. cap. 3.* ait. Explicans enim illud *Eccl. 24.* de eadem Virgine prolatum, *In fluctibus maris ambulaui*, dicit: *In Regno etiam Purgatorij dominium tenet. Pœna ſiquidem Purgatorij ideo dicitur fluctus, quia tranſitoria eſt, ſed additur maris, quia nimium amara eſt, & ab his tormentis liberat beata Virgo maximè douotos ſuos.* Imo cum ipſa etiam communis Mater ſit in Purgarorio exiſtentium, quemadmodum ad Beatam Brigittam *lib. 4. Reuelat. cap. 138.* his verbis teſtata eſt: *Sum Mater omnium, qui ſunt in Purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis ſuis in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur.* Et maximè illorum, qui ipſi dum viuerent deuoti fuerunt. Prout expreſſit Diuus Bernardinus verbis relatis. Quibus addit: *In fluctibus maris ambulaui, ſcilicet viſitans, & ſubueniens neceſſitatibus, & tormentis deuotorum meorum. Imo & omnium qui ibi exiſtunt, quia filij eius ſunt.* Adeo vt ſolo nomine *Mariæ* audito conſolationem accipiant, eadem Auguſtiſſima Virgine ad Diuam Brigittam *lib. 1. Reuel. cap. 9.* dicente vltra modum gaudere animas Purgatorij de nomine *Mariæ* audito, *tanquam æger in lecto iacens, ſi audierit ab aliquibus verbum ſolatij.* Hocque eſſe vnam ex Stellis duodecim Virgineæ Coronæ agnoſcat Bernardinus de Buſto *par. 12. Marial. ſerm. 1. de Corona B. V.* Propterea enim eandem Angelorum Reginam in Cælis coronandam, quo die aſſumpta eſt, multa millia animarum Purgatorij comitata ſunt, prout habent Ioannes Gerſon *Tract. 4. in Magnificat*, Buſtos *par. 11. Marial. ſerm. 1. de Aſſumpt.* & Paulinus *tom. 2. de Sanctis ſerm. 45.* dicens: *Piè creditur Dei priuilegio in Virginis Aſſumptione euacuatum eſſe Purgatorium.* Quam præclarè etiam Rutilius Benzonus Lauretanus, ac Recinetenſis Præſul Religioſiſſimus *in Cant. Magnif. lib. 2. cap. 22. dub. 7* edixit: *Qui in Purgatorio degunt maximam ſpem in interceſſione Beatæ Virginis ad Filium, ad quam primum terminanda ſupplicia, habere nemo dubitare poteſt.* Et merito ſanè. Si enim enim animæ Purgatorii liberantur ob Eccleſiæ theſaurum, & ſuffragia Sanctorum

in

in ipſo recondita, cum plura Virgo ſanctiſſima in eum intulerit, quam omnes alij Sancti etiam collectim accepti, prout piè Theologi aliqui docent; abſdubiè etiam veluti Patrona Purgatorij cenſeri debet. Hinc Martinus Roa *lib. de ſtatu animar. cap.* 12. inquit: *Non infrequenter à perſonis in eςſtaſi conſtitutis viſa eſt in Purgatorium ingredi, & in Cœlum educere animas innumeras*. Hinc etiam varia exempla in hiſtoriis reperta eam è Purgatorii pœnis animas liberaſſe præmonſtrant. Vnum reperiet lector in Cantipratano *lib.* 2. *Apum cap.* 53. §. 12. Alterum in Ferdinando del Caſtillo 1. *p. hiſtor. Dominic. lib.* 2. *cap.* 14. Alterum in Surio *in Vita ſanctæ Lutgardæ Brabantiæ Duciſſæ in menſe Iunij*. Et alterum apud Chryſoſtomū Henrriquez *in Menolog. Ciſtercienſi* 2. *Octob.* Alia ſine numero taceo. Si ergo pro communi Purgatorii Eccleſia talem ſe exhibet clementiſſima Mater, quid non faciet pro ſingulariter ſibi deuotis, qui Habitum ſuo nomini ſacrum in vitâ geſtauerunt, caſtitatem ſeruarunt, ieiuniis, & piis operibus in ipſius honorem intenti fuerunt, quales ſunt Carmelitani Ordinis, & ſodalitii alumni? Nunquid pro illis clemens, pia, & dulciſſima Virgo non intercedet? Aut ſi intercedet, non exaudiri digna erit, quæ ſanctitate, & orationis efficacitate totam cæleſtem Curiam ſuperat; prout ex Patrum doctrina Suarez *t.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 23. *ſect.* 2.?

29 Quod verò Sabbati die præcipuè hanc prædulciſſimæ Matris protectionem iure meritòque ſentiant, prout in Diplomatibus Summorum Pontificum, & decreto ſacræ Congregationis relatis habetur, ex eo mirabile non erit, quòd talis dies eidem Virgini Patronæ ab antiquiſſimis temporibus, ex Eccleſiæ traditione conſecratus cernitur: vel quia ſicut feria ſexta Chriſti paſſioni dedicata eſt, ſic Sabbatum anguſtiæ, & doloribus ſuæ Matris, prout Alenſis *par.* 3. *Summæ q. vlt. membr.* 5. *ar.* 1. Auguſtinus Vvichmans *in lib. cui titulus Sabbatiſmus Marianus cap.* 4. & alii putant; vel quia ſicut Sabbati dies eſt requies Dei, quia in eo *requieuit ab vniuerſo opere, quod patrarat*, vt dicitur Geneſ. 2. ſic Maria requies eſt diuini Verbi, ipſa dicente Eccleſiaſt. 14.

Qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo; quemadmodum Petrus Damianus *lib.2. Epiſt.*14. Georgius Coluenerius *in Kalend. Virg. in princip. cap.* 7. & alij autumant; vel denique (vt omittamus alia, de quibus Iacobus de Voragine *ſerm.* 2. *in Sabbato poſt Cineres*, Guillelmus Durandus *in Rationali diuinor. Offic. lib.*4. *cap.*1. *& lib.*6. *cap.*72. Ioannes Belethus *in lib. de diuin. Offic. cap.*51. & Coluenerius relatus) magis ad intentum noſtrum, ex quo etiam magis elucidatur cauſa, propter quam eadem clementiſſima Mater ea die voluerit filijs in Carmeli Societatem relatis viſcera materna oſtendere; quia videlicet, vt ex Coſtero *meditat.*38. *de B. Virg.* & Coluenerio elicitur, quemadmodum Sabbati dies Saturno pſeudodeorum patri ab Ethnicis dicatus erat, ſic veri Dei Parens Maria Sabbatum ſibi elegit, in quo eximiæ ſuæ charitatis, & potentiæ mirabilia ſigna hominibus demonſtraret. Tali namque die maxima miracula feciſſe, & beneficia peccatoribus præſtitiſſe (quemadmodum Chriſtus *Matth.*12. manum habentem aridam; *Luc.*15. fœminam inclinatam; *Luc.*14. hydropicum; *Ioann.*5. languidum 38. annorum; & *Ioann.* 9. cœcum à natiuitate Sabbati diebus curauit) habent Pelbartus *lib.* 12. *Stellarum B. Mariæ p.*1. *art.*2. *cap.*4. ex Anſelmo, & hiſtoriis miraculorum de Beata Maria, & Godſcalcus Hollen Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini *in ſuo Præceptor. in explicatione primi præcepti*. Exem plum eſt huc pertinens in Formicario Ioannis Nider *lib.*5. *cap.*7. de malefico, qui faſſus eſt veritatem ſe potuiſſe dicere Sabbato, quod machinamentis dæmonum detentus duobus diebus præcedentibus non valuerat. Hac etiam de cauſa, quòd dies feſtus Aſſumptionis eiuſdem Virginis eidem conſecratus fuerit quædam Marozia, quam refert Petrus Damian. *lib.*3. *Epiſt. ep.*10. quæ laſciuiæ petulantijs inſeruierat, ea nocte feſti Virginis ſanctiſſimæ precibus à Purgatorii pœnis liberata fuit. De ijs quoque, qui in honorem eiuſdem Virginis eo die ieiunauerunt, vel aliud opus bonum fecerunt, præclara paſſim extant exempla renumerationis. Vt in Cęſareo Heiſterbachenſi *lib.*7. *Mira-*

ra-

*raculor.cap.*29.*&* 59. in Vincentio Belloacenſi *lib.* 8. *(alias* 7.) *cap.*102. *&* 103. & ex eo *in Speculo exemplor.diſt.*4.*Exempl.*8. & in Thoma Cantipratano *lib.*2. *apum cap.*29.*par.*24. Merito proinde Fratribus, & Confratribus noſtris adaptant nonnulli, veluti à clementiſſima Deipara ipſis dictum, illud Iob.5. *In ſex tribulationibus liberabo te, & in ſeptima* (id eſt Sabbato, quæ eſt ſeptima dies) *non tanget te malum*; propter ſingulare patrocinium ea die illis exhibitum; et præoſtenſum in Elia Anteſignano, qui, vt notat S. Th.2.2. *q.*122.*art.*4. *ad* 3. fugit à facie Iezabel in die Sabbati, & in Eliſeo ſecundo Ordinis Vexillifero, qui filium Sunamitidis Sabbato rediuiuum fecit, prout notauit Tertullianus *lib.*4. *contra Marcionem*.

30 Merito quoque inter ſingularia Carmelitico Cœtui à Matre ſanctiſſima conceſſa priuilegia, propter quæ titulo Patronæ compellari debet, illud recenſemus, quod eiuſdem fideliſſimæ Virginis promiſſione Carmeli Religio vſq. in finem mundi duratura credatur. Reuelauit hoc ſpeciali viſione Beato Petro Thomæ Conſtantinopolitano Patriarchæ egregiæ ſanctitatis viro, & de Eccleſia Catholica optimè merito propter maximos exāthlatos labores pro ipſius dilatatione, à 300. in quibus floruit annis, ac Deiparæ eidem addictiſſimo; prout Ioannes de Hyldesheym eius diſcipulus & adminiſter *in Tract. de princip. Ordin. contra detractores* per modum dialogi edito *cap.*5. his verbis euulgauit: *Detractor. Non poſſum credere tantam tuæ Religionis durationem, niſi probes melius. Director. Si velis experto credere, probabitur tibi, quia prouerbialiter dicitur: Experto crede Ruperto. Tempore felicis recordationis Domini Clementis Papæ Sexti fui ſtudens in Auinione, ſeruiuique pro tunc recolendæ memoriæ Magiſtro Petro Thomæ tunc ſcholas Regenti, viro magnæ ſcientiæ, magnæ famæ, magnæque opinionis, quoad ſanctitatem vitæ; cumque more ſolito coram ipſo dormirem in ſancta nocte Penteceſtes, vocibus dulcibus, & miris motibus expergefactus, repente ſurrexi, de quo & ipſe ſimiliter euigilauit. Petij pro tunc ab eo quid habuiſſet; ipſe verò noluit indicare mihi; multiplicaui preces flexis genibus,*

& tandem vix obtinui, præmiſſo tamen iuramento, quod non reuelarem, quamdiu foret ipſe ſuperſtes. Et tunc dixit: In triſtitia mentis, & feruentibus deſiderijs obdormiui deſiderans à Beata Virgine Religionis meæ patrocinium, & conſeruationem. Ipſa mihi reſpondit: Petre, ne timeas, quia durabit in finem Carmeli Religio. Confirmat inferius huius reuelationis veritatem idem Auctor, ex vita, ſanctitate, auctoritate, & miraculis eiuſdem Beati Petri Thomæ. Confirmat etiam illam maximè auctoritas ſacræ Congregationis Rituum, quæ ipſam approbauit in Officio eiuſdem Beati pro die 29. Ianuarij, prout cernere licet in Carmelitano Breuiario. Eam quoque recipiunt nedum Ordinis auctores concorditer, ſpecialiter ex vetuſtioribus Arnoldus Boſtius *in lib. de Patronat. Virg. cap.* 12. eleganter extollens ſingulare hoc Virginis Matris beneficium, Balduinus Leerſius *in Collectan. exemplor. & miracul. cap.* 7. & Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 12. quos recentiores alii ſecuti ſunt, ſed & de exteris Siluester Marulus Ciſtercienſis *in Mari Oceano Religionum* de Carmelitana loquens, Ioãnes Carthagena *t.* 4. *homil. homil. de B. Virg. de Monte Carmeli*, Honuphrius Meneſcal *tom.* 1. *Concion. in Concion. Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli*, Georgius Coluenerius *in Kalendario Sacratiſſimæ Virginis Mariæ* 29. *Ianuarij*, & alii. Vnde merito in toto Ordine diſtichon illud veluti à Dei Matre Sacratiſſima prolatum inualuit:

Dum fluet vnda maris, curretque per Aethera Phœbus
Viuet Carmeli candidus Ordo mihi.

31 Nec deſunt grauia fundamenta, quibus huius reuelationis veritas, & Carmelitici Ordinis perpetuitas roboretur. Ad id enim primò deſeruit, quod noſtri Annales oſtendunt de perpetua ac iugi manſione Rechabitarum illis à Deo promiſſa per Ieremiam *cap.* 35. his verbis: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Pro eo quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa, quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu meo. cunctis diebus.* Hæc enim cæleſtis

ſtis promiſſio non tam de carnali Rechabitarum propagatione intelligi debet, quam de ſpirituali ſucceſſione Prophetici, & Eliani Ordinis Cultorum, ex quibus erant ipſi Rechabitæ, vtpote filijs Prophetarum coniuncti per Eſſeos, Aſſideos, & Monachos tum veteris, tum noui Teſtamenti, prout ex Ioanne Ieroſolymitano, Thoma Vvaldenſi, Franciſco à ſancta Maria, Nicolao Serario, Cornelio à Lapide, & Ioſepho Scaligero in ijſdem Annalibus dictum. Accedit Prophetia ſanctę Hildegardis, de qua, & qualiter de noſtro Ordine, ipſiuſque perpetuitate prædixerit, Balduini Leerſij verbis ex loco relato damus: *De ipſa duratione longe prophetauit ſancta Prophetiſſa Hildegardis, quæ fuit in monte ſancti Ruperti propè Peguſeam Maguntinenſis Diœceſis, quæ & fuit contemporanea Beati Bernardi, & Eugenij Papæ, quæ prophetauit de Religioſis ſub figura equorum; quia ſicut equi portant homines per terras, ſic & iſti longè lateque portant Verbum Dei, & pondus veritatis. Prædicatores dixit equos nigros: Minores griſeos: de Carmelitis verò ſic ait:* Venite equi varij coloris, eorum egreſſio ab Oriente in Occidentē, ſed mutato vellere paulatim incedēt, & progreſſio eorū ab Occidente in Orientem; hi primi, & nouiſſimi. Venient, *inquit, ſupple ad partes noſtras, de vltra marinis partibus, in quibus iamdiu præfuerunt:* Equi varij coloris; *quia per aliquod tempus portauerunt cappam barratem, ſiue ex albo, & griſeo partitam, vt ponit Cyrillus Propheta, & Eremita Montis Carmeli ad Ioachim Abbatem. Et hoc ideo quia Homar Rex Arabiæ cum Terram ſanctam cepiſſet, moleſtè ferebat, quod noſtræ Religionis Profeſſores veſte alba incederent, quia eius Satrapæ albis induebantur, ideò Fratribus interdixit album pallium. Sed diu poſt inſpirante Deo dimiſerunt; & Bonifacius Papa VIII. reaſſumptionem albę cappæ confirmauit anno Domini 1295. Romæ apud ſanctum Petrum Pontificatus ſui anno primo. Bulla eſt in Conuentu Londoniæ.* Et hi primi, & nouiſſimi: *quatenus veniens Elias, & aduerſus Antichriſtum prædicaturus, illos quorum patronus extiterat inueniat ſuperſtites in vita, & cum ipſo prædicent veritatem, & veriſimile eſt, quòd cum ipſo glorioſo martyrio coronabuntur, nam & preteritis temporibus multi ipſorum in Terra ſancta per Saracenos martyri-*

zati ſunt. Hæc Leerſius. Accedit etiam Abbatis Ioachini viri celeberrimi, & qui inter noui teſtamenti Prophetas à multis, nec leui fundamento, putatur, teſtimonium, quo huiuſmodi Carmelitici Cœtus continuam finem vſque mundi, & à Deipara Virgine illi promiſſam durationem non incongruè roborare poſſumus. Is ergo Auctor circa annum Chriſti 1200. quo tempore Carmeli Religio Turcarum, & aliorum infidelium preſſuris veluti attrita Beati Alberti Ieroſolymitani Antiſtitis Regula, ſanctorum Angeli, & Ioannis germanorum, Brocardi, Cyrilli, & aliorum, qui Carmelum tunc temporis colebant, pia conuerſatione, excitabatur, de quodam Religioſorum Ordine ſuper illa verba Apocalypſ. 14. *Vidi & ecce nubem candidam &c.* hæc ſcripſit: *Surget Ordo, qui videtur nouus & non eſt. Induti nigri veſtibus, & deſuper accincti zona pellicea. Hi creſcent, & fama eorum diuulgabitur, & prædicabunt fidem, quam & defendent vſq. ad mundi conſummationem in ſpiritu, & virtute Eliæ. Qui erit Ordo Eremitarum æmulantium vitam Angelorum. Quorum vita erit quaſi ignis ardens in amore, & zelo Dei ad comburendum ſpinas, & tribulos, hoc eſt, ad conſumendum, & extinguendum pernicioſam vitam prauorum, ne mali amplius abutantur Dei patientia*. Quibus, etſi ſciamus quibuſdam alijs Religionibus ab aliquibus applicari, noſtram indicari refragabitur nullus, qui animaduerterit habitum illius, *nigrum*, ideſt ſubnigrum, vel griſeum nigrum eſſe; *zonis* cingi, Eliano, & Prophetico more; *in virtute Eliæ* Ordinis primi Patriarchæ viuere; *Eremitarumque* nomen mereri, cum Carmeli eremus patrium, & primarium Ordinis ſolum ſit. Illud ergo *vſque ad mundi conſummationem* eidem etiam iure conceſſum. Adſtat & Trithemius celeberrimus Auctor, qui *in Præfat. libr. de laudib. Carmelit.* hanc Carmeli perennem durationem agnoſcit illis verbis: *O verè beata vnio, quæ tantæ Parentis munita præſidio in æternum firma conſiſtit. Sub Dei Matris protectione Carmeliticus Ordo quieſcit: & idcirco nulla vnquam aduerſa formidabit*. Meritò proinde Carmeli Montis vertici hoc vnum ſingulare encomium appingi poteſt.

poteſt; quòd Regius Pſaltes *in Pſal.67* cecinit: *Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem*. Ac proinde ex hoc, & alijs à munificentiſſima Virgine ei collatis beneficijs ipſam eiuſdem Montis Patronam eſſe aptè autumandum.

32 Beneficia porrò ab eadem munificentiſſima Matre ſingularibus huius Ordinis alumnis exhibita, ex quibus ipſius Patronatus magis innoteſcit, adeo numerum excedunt, vt in prolixiſſimum protraheretur opus, ſi ea ſub calculo claudi tentaremus. Aliqua tamen, imò recentiora à quingentis ſcilicet annis proximis, & ſub compendio ſolum, ex hiſtorijs, legendis, & vitis ipſorum, quibus exhibita fuerunt, ſelecta recenſebimus. Primùm, B. Cyrillum Conſtantinopolitanum in ſomnis admonuit, vt ſi à Græcorum erroribus abeſſe cuperet, Carmelum pergeret, & habitum ſumeret, ſicque ſaluum fore promiſit. Secundum, Ieſsæo, & Mariæ coniugibus ſuaſit, vt Hebraica perfidia relicta Baptiſmi lauacro regenerarentur, vt propterea parentes futuri eſſent ſanctorum Angeli, & Ioannis, qui Carmelo nomen poſtea dederunt. Tertium, apparuit Beato Franco Senenſi iubens inſtitutum Carmelitarum aſſumere; eique poſtea de ſuorum peccatorum remiſſione formidanti, quadam die Sabbati leniter, & blandè conſolationem detulit; ac quòd ſuis interceſſionibus indulgentiam accepiſſet, fidem dedit. Quartum, ſuis precibus duo Ord. fulgentiſſima ſydera, videlicet S. Albertus Drepanenſis, & S. Andreas Corſinus Florentinus parentibus ſterilibus eam interpellantibus, & Religioni conceſſa fuerunt. Quintum, eidem Andreæ apparens dixit: *Seruus meus es tu, & in te gloriabor*; & poſtea felicem ipſi mortem in die Epiphaniæ euenturam augurata fuit. Sextum, eidem pariter Alberto iuſſit vt Prouincialatus officium ſibi à Generali oblatum acceptaret. Septimum, Beato Petro Thomæ, de quo in ſuperioribus dictum, ad ipſam in quadam rei neceſſariæ penuria recurrenti apparens promiſit, non ei defuturam in neceſſitatibus, vt propterea bono animo eſſe poſſet. Octauum,

maximo illi Luſitaniæ Comeſtabili, & poſtea noſtri Ordinis alumno Nunio Aluaro Pereira eidem Virgini addictiſſimo clienti, ſæpius, vt dicitur, veluti pijſſima Mater, in viſione apparuit. Nonum, Sanctæ Thereſiæ Ordinis noſtri, & totius Eccleſiæ hoc ſeculo Stellæ fulgentiſſimæ, candidiſſimam veſtem in viſione cinxit, in ſignum quod ipſi remiſſa eſſent iuuentutis peccata: ac torquem auream Cruce pretioſiſſima ornatam collo iniecit, pro firmando propoſito ipſius in primi Cœnobij erectione. Decimum, Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzi virgini ecſtaticæ, & hoc ſeculo etiam inter Carmeli alumnas celeberrimæ, affuit, dum à Ieſu Chriſto in viſione ſpinea corona redimita fuit; eundem Ieſum recens natum brachijs amplexādum dedit, præcandido velo ornauit, ac ipſi in quodam raptu ſuper nauiculam quandam albicantibus, & fulgentibus veſtibus, chlamydeque pretioſiſſimis ornata gemmis, ac cæleſtibus ſpiritibus comitata intellectualiter apparuit. Sed quis (vt ad anteriora greſſum faciamus) quæ Beato Simoni Anglico à quadringentis, & ſupra annis huius Ordinis clariſſimo ſyderi, de quo iam dictum eſt, munificentiſſima Virgo præſtitit beneficia, recenſere queat? Eum namque Eremitis Carmeli Angliam aduentantibus iunxit; cibo ad ſexennium refecit; &, vt in præcedentibus narratum, ſcapulis ſuis obumbrauit, dum Scapulari induit; de quibus eius vitæ Chronologi cygneo cantu eum mirificè concelebrant: ipſos adeat lector, noſtroſque, ſi placeat, Annales.

33 Sed pro coronide, vt ad vetuſtiora redeamus, addendum, quod pius, & doctus auctor Balduinus Leerſius *in Collectario Exemplorum cap.* 10. his verbis refert de quibuſdam Ordinis noſtri profeſſoribus: *Accidit quod tempore dum Fratres Prouinciæ Alemanniæ tranſirent ad Capitulum Prouinciale in Conuentu per Ordinem ordinato, & eorum quidam per Conuentum in Brabantia conſtitutum tranſirent, in die Virginis glorioſæ, quando eius feſtum celebratur ad niuem in die ſancti Dominici, accedunt pariter cum Fratribus Conuentualibus pro Miſſarum ſolemnijs celebrandis. Erat eo tempore in eodem Conuentu Frater quidam*

magna

magnæ gratiæ, & ferventis deuotionis ad Virginem Dei Genitricem Mariam. Hic motus ſpiritu feruentis amoris poſtulat humilibus precibus Beatam Virginem, vt ſuis ſeruis ſpirituale interſignium pro munere tribueret. Facta autem oratione Virginem glorioſam geſtantem Filium in brachijs vidit benignè Fratres reſpicientem, & procedentem per medium chori per ſtallos Fratrum ſingulis ſpiritualia clenodia largientem. Vni quidem dedit pomum rotundum, & rubicundum in ſignum feruentis amoris in Deum, & eius Genitricem. Alteri lilium nitidum in ſignum internæ caſtitatis, alteri panem rotundum, & candidum ad modum hoſtiæ in ſignum perfectæ fidei, & mirandæ deuotionis ad venerabile Sacramentum. His viſis Frater iſte multum congratulabatur gratiæ eorum, & donis ſpiritualibus. Et illi ſimiliter exhilarati in ſpiritu laudem, & gratiarum actionem feruentius reſonabant nomini Mariæ, ac per totum diem, & plures alios aliter ſentire non poterant quam Mariæ præſentiam.

34 Addendus & alius ab eodem Leerſio *cap.* 13. eius libri relatus caſus, quo ſpecialiſſimè Deiparam Matrem benigno fauore quendam è noſtris proſecutam fuiſſe, & totius Ordinis ſe Patronam eſſe demonſtraſſe oſtenditur. Sic Leerſius: *Fuit quidam deuotus Frater Ordinis Carmeli, qui Beatam Virginem Mariam maximo venerabatur affectu, cui vice verſa ipſa ex familiari quodam contubernio multas conſolatorias, & dulces oſtendit viſiones. Quadam ergo vice, cum ſe deuotioni cum alijs Fratribus dediſſet, & Fratres intentius contemplationi ob Beatam Virginem vacaſſent, ſtans in Choro vidit Beatiſſimam Dei Genitricem Mariam Ordinis ſui dilectiſſimam* Patronam *ſuis obtutibus præſentari geſtantem ſuum filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſuper brachium: erat enim veſtibus albis induta, & alijs ornamentis ad modum Sororum Ordinis, excepto quod in capite gerebat coronam. Vidit & Angelos duos, vnum à dextris & alium à ſiniſtris eius, tenentes pallium album & extendentes, ſub quo videbantur recipere viros albos, & mulieres nitidis indutas, ſub quo etiam ipſe Frater recipi videbatur, & quaſi à vento & turbine videbantur omnes defendi.*

ſendi. Quibus viſis Frater vltra modum exhilaratus intellexit Beatam Dei Genitricem eſſe Ordinis ſui dulcem protectricem, & Patronam; *vnde ei multas gratiarum actiones referens deuotior in eius ſeruitio deinceps extitit, prouocans alios Fratres in ſeruitio eiuſdem dulciſſimæ Patronæ fieri deuotiores*. Alia prætermittimus, de quibus Hiſtorici, & Annales noſtri.

Quomodo Marianus Patronatus in Carmeli Sodalitium ex authenticis Scripturis comprobetur. Cap. VI.

1 PRæter ea quæ in ſuperioribus relata ſunt pro Mariano Patronatu in Noſtrates comprobando, ex Summorum Pontificum, S. Congregationum, Scriptorum, & Hiſtoriarum teſtimonijs, quæ inter authenticas Scripturas connumerari poſſunt (quibus Patronatus comprobari ſolet, vt diximus cap. 3.) Sacræ quoque Paginæ monumentis, quæ inter authentica primatum tenent, fulciri debet, vt nihil pro ipſius firmitate deſiderari queat.

2 Et ſanè illud Cantic. 7. *Caput tuum vt Carmelus*, celebre eſt ad intentum noſtrum. Cum enim his verbis Sponſus ſuę dilectiſſimæ Sponſæ Mariæ caput Carmelo ſimile dicat, proculdubio aliquid ſingulare fuit in Carmelo ratione cuius Caput Dei Matris appellari poſſit. Id volunt quidam eſſe, quòd Carmelus pulcherrimus, & amœniſſimus Mons cum eſſet Sponſæ caput pulcherrimè roſis, & floribus ornatum deſignaret. Sed etſi hoc magis ad litteram accedat, à ſpirituali, & myſtico ſenſu abſcedere videtur. Idcirco Theodoretus, Alcazar, Ghislerius, Sanchez, & Cornelius per Carmelum coronam Sponſæ denotari dicũt, ſicut cum *cap. 5.* eiuſdem libri Sponſi caput vocatur *Aurum optimum*, id eſt, coronatum auri optimi corona. Quibus conſonant Hebraicus textus, & ſeptuaginta legentes

Caput

Digitized by Google

Caput tuum ſuper te. Pulchra ſanè pro nobis expoſitio, ſi enim Carmelus Caput eſt Sponſæ quia ipſius corona, Mariani ergo capitis corona Carmelus erit. Sed quis Carmelus? Num materialis ille Mons Phœniciæ, & Galileæ Carmelus dictus? Quorſum? Sanè melius id tribuendum ſpirituali Carmelo, nempe Carmeli Religioni. Id enim ſatis indicat Sanchez relatus dicens: *Notum eſt Carmelum Prophetarum eſſe domicilium, in quod dum ſecedere vellent à turba, longa otia, neque tamen otioſa conſerebant. Vacabant enim contemplationi, ac Deo, & humanarum rerum curis vacuam mentem Cæleſtibus implebant cogitationibus. Optimè ergo Sponſæ Caput Carmelo comparatur, quia in eo ſunt meditationes ſanctæ, ſtudia Prophetica, neque à ſeculo in illam ſanctarum cogitationum officinam aliquid receptum habet*. Amplectitur hanc expoſitionem pijſſimus auctor Arnoldus Boſtius ad intentum noſtrum loquens in ſuo illo celebri Tractatu *de Patronat. Virg. in Carmelit. cap. 4.* illis verbis: *Hinc et Sponſus ille ſuus, amatorque vehemens, de cuius ſecretiore fonte Canticorum flumen emanat, totum hoc epithalamium in eius laudem concinens ſibi ait gratulabundus. Caput tuum, ò chariſſima, vt Carmelus. Verbum quidem breue, ſed immenſa præconiorum vbertate refertum, ſi tantum diligentem habeat inſpectorem; ſuper quo verbo ſic ait Gloſſa: Caput cuiuslibet rei principale eſt. Caput igitur ſuperamandæ, omnimodaque laude ſemper rite colendæ Virginis eſt vt Carmelus, id eſt principale, præcipuumque ei eſt, quod incolarum Carmeli fraternitas, Eliæ genus electum, & populus ſuæ acquiſitionis, ſacro ſuo nomini, ſuoque ſeruitio ſingulariter dedicetur. Suſpenſa locutio eſt, & ponitur ibi continens pro contento; Carmelus pro Carmelum incolentibus.*

Ordo Virgineis bonis valet iſte Patronis:
Et Paradiſicolis Cæli, terræque colonis.
Organa Virginea duo cum terris habuerunt.
Corpora cæligena non intemerata fuerunt.

3 Conſonant huic expoſitioni verba ſequentia poſt illa, *Caput tuum vt Carmelus*, ſcilicet: *Et coma capitis tui ſicut pur-*

purpura Regis vincta canalibus, quæ de Eliæ filijs ſanguinis martyrio purpurandis intelligit Cornelius à Lapide in hunc locum Canticorum his verbis: *Caput Synagogæ ad Chriſtum conuertendæ erit Chriſtus, & poſt Chriſtum Elias, vt dixi. Comæ ergo huius capitis erunt viri Religioſi, & zeloſi, diſcipuli, & aſſeclæ Eliæ: ſicut enim capilli oriuntur ex capite, illudque ornant, & protegunt; ſic hi ex Eliæ diſciplina, & ſpiritu prodeuntes eundem decorabunt, defendent, adiuuabunt, & propugnabunt contra Antichriſtum, & antichriſtianos, ideoque ab eo occidentur, & ſanguine ſuo quaſi martyrij purpura tingentur, & decorabuntur.* Huc etiam conſonat verſio Chaldæi, qui per ly *Comæ capitis tui* intelligit pauperes, obedientes ſicut Iſaac, & decorticatos, per macerationem carnis, vel caſtitatem ſicut virgas Iacob; id eſt Religioſos, qui tribus his votis vinciuntur. His verbis: *Et pauperes populi, qui ambulabant apud principem, hinc & inde, eo quod egeni ſunt, futurum eſt, vt induantur purpura, ſicut indutus eſt Daniel in ciuitate Babylonis, & Mardocheus in Suſis, propter meritum Abrahæ, quem Regem conſtituit ab initio in dominatorem ſeculi, & propter iuſtitiam Iſaac, quem ligauit pater eius, vt offerret eum, & propter dignitatem Iacob, qui decorticauit virgas in canalibus.*

4 Eſt alia expoſitio huius loci, *Caput tuum vt Carmelus*, quæ per Carmelum Eliam ipſum accipit. Hanc exprimit Paraphraſis Chaldaica ſic hunc locum vertens: *Rex qui conſtitutus eſt ſuper te in Principem, iuſtus eſt ſicut Elias Propheta, qui zelo zelatus eſt pro Domino Cæli, & occidit Prophetas falſos in Monte Carmelo.* Eam quoque tenet Cornelius: poſtquam enim Iuſti Orgelitani, & Pagnini expoſitionem retulit, qua per Carmelum Chriſtum intelligebant, ſubdit ex Alcazar: *Verum Chriſtus generale eſt caput, & commune tam Eccleſiæ, quam Synagogæ; particulare verò caput Synagogæ ad Chriſtum in fine mundi conuertendæ erit Elias, qui vti olim in Monte Carmeli mira ſanctitate, orationis efficacia, familiaritate cum Deo, & miraculorum gloria reſplenduit, ibique Religioſam familiam virorum Deo ſeruientium, qui in libris Regum filij Prophetarum vocantur, inſtituit. Vnde ab hoc Monte Religioſi Carmelitæ quaſi Eliæ poſteri*

nomen

nomen acceperint. Sic pariter idem Elias in fine mundi eadem, & maiora ibidem faciet, ac Religioſos omnis generis in aciem contra Antichriſtum producet. Poſtea Eliam comparari dicit in ſeptem analogijs; prima, quia ibi orationi vacabat; ſecunda, quia ibi Monaſteria fundabat; tertia, quia hirſutus, comatus, & veluti coronatus ſicut Carmelus erat; quarta, quia Prophetis eminebat ſicut Carmelus alijs montibus; quinta, quia fœcundiſſimus ſicut ille; ſexta, quia etiam ſicut ille aſylus bonorum; ac ſeptima, quia etiam prout Carmelus vindex peccatorum.

5 Ex duplici ergo hac expoſitione, appoſitè elici valet intentum noſtrum. Si enim Elianus Cœtus, aut ipſe Elias, caput ſponſæ, id eſt corona ipſius dicitur, proculdubio arcanè, & myſticè (vt ſumma illa qua decet reuerentia loquamur de tantæ Virginis maieſtate) ipſe Elias, eiuſque Religio Deiparæ venuſtiſſimæ corona nuncupabuntur. Prout etiam antiquiſſimus S. Methodius ſuſpicatus fuiſſe videtur, dum *in homil. Feſt. Purificat. in tom.* 3. *Biblioth.* inquit cum Maria loquens: *Puritatis tuæ Elias propheta præſcius, atque imitator ſpiritu cum eſſet, vitæ illius igniferæ ſibi coronam colligauit.* Sed quo ſenſu? Sanè illo quo Apoſtolus cum ſuis Philippenſibus loquens *cap.*4. eos vocabat *Gaudium meum, & corona mea*, metonymicè ſcilicet, quia obiectum erant gaudij & laboris, quo ipſos Chriſto pepcrat. Vel eo quo Salomon *Prouerb.* 17. dicebat: *Corona ſenum filij filiorum.* Id eſt, vt Rabbi Salomon, & Aben Ezra exponunt: *Auorum, & ſenum diadema ſunt nepotes, quos recto virtutis tramiti inſiſtentes aſpiciunt.* Et meritò, quia parentes ſunt quaſi principes filiorum, & quaſi reges familiarum ſuarum. Vnde Ariſtoteles 8. *Ethic. cap.* 10. ait: *Societas patris ad filios regni præſefert effigiem.* Subiungit Philoſophus: *Nati namque patri ſunt curæ.* Mariæ ergo (vt ad ſcopum à quo deuiare videmur regrediamur) cum Elia, eiuſque poſteritate veluti coronetur, ipſius *ſunt curæ.* Iure igitur *Patrona* dicenda.

6 Aliam eius loci *Caput tuum vt Carmelus* nec temnendam

dam habet ponderationem nouus auctor Laurentius Chryſogonus *in Mundo Mariano par. 1. diſcurſ. 21. num.* 149. Per Carmelum namque intelligens, *Inhabitationem, & domicilium ſanctiſſimorum virorum Eliæ, atque Eliſei, reliquorumque Dei ſeruorum veſtigia illorum Prophetarum conſectantium*; cum is dicatur *Caput* Virginis, ſubdit: *Vt verè ingenuè fateri ſumma animi alacritate omnes illius myſterioſiſſimi Montis incolæ, quales reuera ſunt Religioſiſſimi Patres Carmelitani, valeant: Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te ſancta Dei Genitrix*. Quod tamen profundiſſima animi ſummiſſione ad præeminentiſſimam Dominam dicere debemus; & ex eo elicere ipſam iure, meritoque noſtram *Patronam* appellari.

7 Extat & alia authentica ſcriptura, vtpote ex ſacra Pagina deſumpta, qua idem intentum roborari poteſt. Ea porrò eſt ille locus Iſai. 35. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron*. Qui etſi concorditer à Patribus Eccleſiæ adaptetur, pręcipuo tamen Eccleſiæ mẽbro Mariæ ſub Chriſto Capite applicari nemo inficias ibit. Ergo *decor Carmeli* Mariæ datus quis alius arcanè erit niſi Carmeli ſancta Religio? De quo Arnoldus Boſtius in relato libro *de Patronat. Virgin. in Carmel. cap.* 4. hæc: *Euangelici vatis Iſaiæ prophetia irrefragabili ſtabilita veritate completa ſic eſt: qua dum gloriam futuræ Virginis Emanuelem parituræ olim præconizaret, dixit inter cetera: Datus eſt ei decor Carmeli. Quæ ſua verba Cythariſta Mariæ Bernardus (qui de ea præ cęteris gratius loquitur, atque deuotius, & quem Doctores multi matris magnificentiæ, ſufficientiæ, diligentiæ quoque prorſus ſingularis laudes amplificare volentes ſapius deuotè reuoluunt) explicans, Data eſt Mariæ, ait, iuxta verbum Iſaiæ, Gloria Libani, decor Carmeli, & Saron. Decor Carmeli, veluti loci cuiuslibet eſt inſignium, & ſanctarum perſonarum locum talem inhabitantium cœtus: ſicut & decor conchæ, & pulchritudo margaritæ, quæ ſuum continens conſimili decorat refulgentia; cum non propter locum gentem, ſed propter gentem locum eligat Dominus. Hic decor roſulentæ bellulæ, venuſtiſſimæ Virgini Mariæ omnium virtutum floribus redimita donatur: cum in eo loco cœpta Religio, ſeruataque*

Digitized by Google

taque diutine, & ab eo per innumera ferè Cœnobia deriuata ſuo Patronatui peculialiter applicatur. Quidquid vnquam in Carmelo decorum, & ſanctum extitit, quidquid decorum ex eo fluxit venerandiſſimæ Dei Matris honori à Protoparente Carmelitarum Elia peculialiter deſtinatum, à ſuis ſucceſſoribus ſpecialiter donatum, à Sede Apoſtolica Matre, & Magiſtra omnium Eccleſiarum ſingulariter adiudicatum eſt. Sub qua veluti Patrona, peculiarique domina Carmelitæ ſinguli ſe viuere gaudent. Expreſſit hoc etiam Ioannes de Malinis *in ſpeculo hiſtor. cap.5.* his verbis: *Quia ergo profeſſores huius ſanctæ Religionis titulum ſanctæ Mariæ Virginis congruentiſſimè obtinere meruerunt, rectè ſponſus Eccleſiæ eiuſdem Reginę præeminentiam conſiderans, ſibi magiſterium huius ſanctæ Religionis attribuit, dicens: Caput tuum vt Carmelus. Canticor.7.* Ac Ioannes de Cimineto *in tractatulo Speculum Ordinis* vocato *cap.4.* hiſce: *Vnde & ſponſus Eccleſiæ præeminentiam eius conſiderans ſibi magiſterium huius ſanctæ profeſſionis attribuendo dicebat: Caput tuum, vt Carmelus. Canticor.7.*

8 Etſi tamen veteres noſtri Patres pro Mariano Patronatu in ſuum Carmeli Cœtum comprobando ſolùm duobus locis ex ſacra Pagina relatis vſi fuerint; nos tamen alium non incongruè ad idem intentum adaptari poſſe, vt & illo quoque veluti authentica Scriptura idem Patronatus fulciatur, autumamus. Is eſt ex Canticorum libro *c.4.* his verbis Sponſi ad Sponſam expreſſus: *Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Hos etenim Sponſæ (Mariæ) capillos Religioſos eſſe, ſpecialiter Elianos, ſeu Eliæ Prophetæ alumnos, non tam ipſi, quam alij pro ipſis aſſeuerarunt. Pro quo Rupertus Abbas *lib.3. in Cantic. cap.4.* inſigne hoc teſtimonium perhibet: *Qui greges caprarum, vel quando greges caprarum apparuerunt de monte Galaad? Vtique greges rationales, greges caprarum rationalium tunc apparuerunt, quando cœperunt homines eiuſmodi eſſe, de qualibus Apoſtolus dicit: Circuierunt in melotis, pellibus caprinis, &c. vſque & in cauernis terræ. Quando cœperunt homines eiuſmodi eſſe, vel vnde apparuerunt homines huiuſmodi conuerſationis? Nimirum quando IeZabel interficiebat Prophetas Domini, tunc apparuerunt*

Digitized by Google

de monte Galaad, ideſt de Ciuitate eiuſdem nominis Galaad. Sic enim ſcriptum eſt: Et dixit Elias Thesbytes de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. Et factum eſt verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere, &c. Hæc dixit, & hæc fecit ille primus auctor, & Inſtitutor eorum, qui dicti ſunt filij Prophetarum, quos fuiſſe Monachos in veteri Teſtamento conſentit auctoritas Patrum venerabilium. Et rectè dicuntur apparuiſſe, quia iam dictus Inſtitutor illorum Elias ſic repentè illic introducitur, vt antea nuſquam Scriptura meminerit quis, vel vnde fuerit progenitus. En loci iſtius, & intenti noſtri explanator Rupertus.

9 Accinit huic expoſitioni, quæ per *greges caprarum*, ſeu Sponſæ Mariæ capillos Eliæ filios intelligit, primò Theodoretus, qui per tales accipit *Pœnitentes*, quod dubio procul Religioſos deſignat. Secundò, Gregorius Nyſſenus, Iuſtus Orgelitanus, Anſelmus, & alij, qui per capillos accipiunt *Viros perfectioni ſtudentes*, quales ſunt Religioſi. Tertiò Cornelius inquiens: *Religioſi ergo ſunt Capilli, qui caput Eccleſiæ ornant*. Rationeſque tradens cur capilli nominentur, ait, *Capilli enim ſunt viles, & exiles; ſic Religio eſt ſtatus, & profeſſio humilitatis, quo quis ergo humilior eſt, eo & Religioſior*. Deinde: *Sicut capilli denſi, nexi, & compoſiti ſunt, ſic in Religione ſumma debet eſſe Religioſorum vnio, ſubordinatio, & compoſitio*. Mox: *Sicut capilli intimè inhærent capiti, ſic Religioſi Chriſto*. Item: *Sicut capilli ſinguli tenues ſunt, & infirmi; ſed iuncti, & plexi funiculum efficiunt fortiſſimum; ſic Religioſi ſinguli per ſe inualidi ſunt, ſed amoris vnione coniuncti aciem efficiunt inuictam, & robuſtiſſimam*. Præterea: *Sicut capilli inſenſiles ſunt, quia vita, & ſenſu carent, ſic Religioſi, qui mortificauerunt ſuos affectus, quaſi inſenſiles videntur*. Cur verò Capris comparentur, quia *ſicut* (inquit) *Capriæ villoſæ ſcandunt ſumma montium cacumina; ſic Religioſi eſt conſcendere cæleſtia, & cum Deipara in montana virtutum aſſiduè conſcendere*. Cur vero dicantur *de monte Galaad* iam reſpondit Rupertus, quia Elias erat *de habitatoribus Galaad* 3. Reg. 17. Vnde Paraphraſtes illud Ierem. 8.

rem. 8. *Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi*, ita vertit: *Deſiderabam doctrinam Eliæ Prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicina*.

10 Sed quo pacto (dices) tuum ex hoc loco elicis intentum de Patronatu Virginis in Eliæ alumnos? Pulchrè ſanè: nam ſi Eliæ filij capilli ſunt Sponſæ (Mariæ) curam ergo ipſorum ſolicitam gerit: quia nihil magis ſcitum eſt (vt in hac capillorum metaphora ſiſtamus) quam fœminas auidiſſimè ſuorum capillorum, vtpote pulchritudinis ſuæ quòd ſint ſplendida ornamenta, attentiſſimam curam gerere. Docet Apuleius *lib. 2. Metamor.* Virgilius de Didone 4. *Æneid.* Catullus *in Epithalamio* de Iulia. Quare ex Arctoa regione alienos ſibi capillos comparabant fœminæ, quos geſtarent pro ſuis. Martialis *lib. 5. ad Lesbiam, & Apophor. 26. & 27.*

11 Inter authenticas porrò Scripturas, quibus Virgineus Patronatus in Eliæ alumnos apprimè fulcitur, etiam vel compendio referri poſſunt, ex ijs, quæ in ſuperioribus adduximus, verba Sixti Quarti, & Gregorij Decimitertij *cap. 3.* relata, quæ cum alijs in ſequentibus expendemus. Item verba illa Officij ſolemnis Commemorationis eiuſdem Almę Virginis à ſacra Congregatione Rituum ſæpius approbata, & quæ *cap. 5.* retulimus, in quibus eandem Deiparam magnificentiſſimam non ſolùm *nomenclaturam*, ſed etiam *tutelam, & inſigne ſacri Scapularis* huic Ordini tribuiſſe dicitur. Et illa, quæ ſacra Congregatio ſanctæ & vniuerſalis Romanæ Inquiſitionis dixit, prout eodem *cap. 5.* adduximus: *Suis interceſſionibus continuis, pijſque ſuffragijs, ac meritis, ac ſpeciali protectione poſt earum tranſitum, præcipuè in die Sabbati, qui dies ab Eccleſia eidem Beatiſſimæ Virgini Mariæ dedicatus eſt, adiuturam*. Quibus vel vnico verbo iungendum hunc Deiparæ in Carmeli Religionem Patronatum ſemper ab Ordine noſtro cognitum, & veneratum fuiſſe; & in recognitionis teſtimonium ſæpiſſimè in communibus Ordinis monumentis, Breuiarijs videlicet, Miſſalibus, Ceremonialibus, ſeu Ritualibus, Conſtitutionibus, ſeu Statutis

G pro-

proteſtatum. Sed plura miſſa facientes, quæ in Capitulis Generalibus (in quibus tota Religio loquitur) pro hoc Virgineo Patronatu dicuntur, omittere non poſſumus. Ergo in Capitulo Generali Placentiæ celebrato anno 1575. hæc in principio habentur: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ad honorem Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ Carmelitarum ſingularis Patronæ, ac Dominæ de Monte Carmelo. Amen.* In Capitulo Generali Cremonæ habito de ann. 1593. ſic dicitur: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ad honorem glorioſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ Carmelitarum ſingularis Patronę. Amen.* In Capitulo Generali ſancti Martini de Montibus de ann. 1598. additur: *Omnium Carmelitarum Patronę.* In Capitulis autem Generalibus de annis 1613. 1620. & 1625. adiungitur particula *ſingularis* ijs verbis: *Omnium Carmelitarum ſingularis Patronæ.* Quo etiam ſenſu eadem ſanctiſſima Virgo vocatur ſpecialiſſimo titulo noſtri Ordinis *Præcipua Præſes* in fine Conſtitutionum Sorctharum his verbis: *Ad laudem, & gloriam Domini noſtri, ac Saluatoris Ieſu Chriſti, eiuſque ſacroſanctę Genitricis, ſemperque Virginis; ac præcipuę Fratrum ſuorum de Monte Carmelo Pręſidis.* Hinc prudentiſſima illa Virgo Monialis Carmelita Beata Magdalena de Pazzi huius communis in ſuum Ordinem Almæ Virginis Patronatus non immemor, vt ex vita ipſius *cap* 95. elicitur, eam *Patronam* compellabat.

12 Sed libet ſingularia Scriptorum teſtimonia proferre, quibus eundem Patronatum ſingularem proteſtati ſunt, Ordinis veluti traditione conſignatum. Et primò occurrit, quòd cum improbus hæreſiarcha Vviclephus inuidens Religionis antiquitati, vt habet Vvaldenſis *tom.* 3. *de Sacramentalibus tit.* 9. *cap.* 89. dicere non veritus fuerit *in lib. de Eccleſia, & membr. eius cap.* 6. hæc: *Carmelitæ inquiunt, cum ante Incarnationem Domini fundati, & Beatam Virginem Patronam habeant ſingularem, patet eorum excellentia ſuper cunctos; nam, vt fingunt, Elias fundauit eos in Monte Carmelo tanquam filios Prophetarum:* ipſum Vvaldenſem, vt ſpurciſſimum os hæretici obſtrueret, dixiſſe: *Quod dicit Carmelitæ*

hoc

hoc inquiunt, præiudicium infert teſtimonio Carmelitæ; nolo dicas cum perfidis Iudæis: Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum; ac propterea hunc Patronatũ Virginis in Eliæ alumnos cõprobaſſe ex Armachano *in ſerm. de Concept. Virg.* quem prædicauit an. 1332. vbi de Carmelit. Ordine inquit, quod ſit *ſanctus ac peculiaris, & antiquus Ordo ſuus*, id eſt, Virg. Mariæ; & ex Ioãne Patriarcha Ieroſolymitano *in l. de Inſtit. Monachorum, &c.* ac ſubieciſſe: *Quem inchoauit Elias ad ſanctæ Virginis Patronatum*; & infra: *Vt ita reſpondeamus Vvicleph contra Patronatum Virginis molienti*. Expreſſit hunc almificum ſanctiſſimæ Theotocos Patronatum è traditione quoque erutum Ioannes Palæonydorus *lib. 2. de Antiquit. & Sanctimon. Carmelit. cap. 8.* illis verbis: *Super hæc tradiderunt nobis ſeniores noſtri Mariam Virginem futuram Chriſti Matrem, ab Elia primum, hinc ab Elię ſucceſſoribus ab illo edoctis, electam fuiſſe in Patronam ſui, atque ſuorum poſterorum*. Ante Palæonydorum autem librum integrum ſcripſerat ſub hoc titulo: *De Patronatu Beatiſſimę Dei Genitricis, ſemperque Virginis Marię de Monte Carmeli* Arnoldus Boſtius Gandenſis Doctor in Ordine noſtro celeberrimus, & adeo inſignis, etiam apud exteros, vt Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquileiæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ac Robertus Guaguinus Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis Generalis miniſter ſuos libros eidem nuncupauerint, vt teſtatur Trithemius; eumque laudibus commendauerint ipſe Trithemius, Iacobus Philippi, Marcus Guazzonus, Guiciardinus, Eiſengrineus, Poſſeuinus, & alij, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſcripſerunt. Ex hoc ergo auctore, qui nobis anſam pro præſenti opuſculo edendo dedit, plura hauſimus, pleraque etiam omittentes, propter breuitatem, quam intendimus.

13 De exteris autem Scriptoribus vnus antiquis noſtrorum monumentis commendatus eſt Philippus Abbas Hieropolitanus, qui in illud Ioannis *Miſerunt Iudęi, &c.* hæc ſcripſit: *O Carmelitarum Religio quàm magna facta es in domo Domini! Numquid olim à modico fonte Eliæ Dei Prophetæ prin-*

cipium habuiſti? Et ecce nunc in magnum fluuium creuiſti. Tu olim plantata in Eremo, num facta es Ciuitas plena populo. Tu fundatorem habes adhuc in Paradiſo viuentem, & glorioſam Virginem Mariam Reginam Cæli, Dominam mundi in Patronam *ſingularem. Sicut enim olim de te proceſſerunt Patriarchæ, & Prophetæ, ſic nunc de te procedunt Sacerdotes, & Leuitæ, Doctores, & Euangeliſtæ. Qui Patres, & Patroni omnium Religioſorum facti ſunt.* Cum laude referendus ad intentum Ioannes Trithemius Benedictinus Abbas Spanheimenſis, qui in *lib. de laudib. Carmelitar.* à ſe edito ſæpius hunc Patronatum Deiparæ extollit, præſertim *in libri Præfatione* vbi inter alia ſic: *Magnam huius Ordinis inſtitutio laudem promeruit; quam Regina Cæli ſuo vocabulo inſigniuit. O verè beata vnio, quæ tantæ Parentis munita præſidio in æternum firma conſiſtit? Sub Dei Matris protectione Carmeliticus Ordo quieſcit: & idcirco nulla vnquam aduerſa formidabit. Gaude decus Carmeli: te mundi ſator ob Matris honorem diligit: te Domina mundi Virgo Maria, vt oculi pupillam cuſtodit; te ſupernæ patriæ ciues colunt, amant, & laudant, nomen & honorem Imperatricis ſuæ in te ſedulò venerantes.* Inferius etiam: *Vos precor, & oro, vt ſi deuotio in Ordinem veſtrum noſtra videtur laudabilis, pro noſtris ad Dominum culpis interueniatis, nobiſque Dei Genitricem veſtræ Religionis Patronam placabilem reddatis, atque propitiam.* Præterea *cap.* 7. ſic habet: *Quæ ergo cauſa fuit, vt Carmelitæ Fratres Beatæ Mariæ ſemper Virginis ab initio dicerentur? Numquid fortuitò caſu aut elatione aliqua inani factum eſt? Abſit. Nam ſicut ex veterum lectione dicimus, titulum hunc Carmelitis conuenire maximè ſcimus: quos ab exordio ſuæ inſtitutionis Dei Genitricem ſemper in maximo honore, & reuerentia habuiſſe non dubitamus. Enimuero non diù poſt Domini paſſionem creſcente per Iudæam Fide Chriſtiana Fratres Montis Carmeli Capellam in eiuſdem Montis latere in Dei Genitricis honorem conſtruxerant; eamque in Ordinis ſui Aduocatam, & Patronam elegerunt, & Fratres eius deinceps appellati ſunt.* Refert, & approbat iſta Auctor valde celebris Cornelius à Lapide *in Cantic.* 7. illa verba *Caput*

tuum

tuum vt Carmelus. Et intentum proſequuntur alij; pleriſque prætermiſſis, numerandus Georgius Coluenerius *in Kalendario ſacratiſſimę Virginis Mariæ die prima Septembris*; & Honuphrius Maneſcalcus *tom. 1. Concion. in Concione B. Mariæ de Monte Carmeli*.

Per antiquiſſimi temporis curſum Patronatum Almificum Virginis in Carmelum comprobari. Cap. VII.

1 ANtiquiſsimi temporis tractum Iuſpatronatus conuincere Iura, & Iuriſtæ *cap.2.* relata proculdubio confirmant. Hunc quoque titulum pro Mariano Patronatu fulciendo non deſiderari adducta in præcedentibus comprobant manifeſtè. Si etenim, iuxta dicta *cap.3.* cum magnus ille Patriarcha Elias ſuum Propheticum Ordinem in Carmeli Monte erexit, ad illius Virginis pariture honorem id fecit, quam ſub nubeculæ paruulæ typo de mari aſcendentis in ſpiritu cognouit; cum id acciderit, iuxta Annalium noſtrorum computum ſub anno mundi 3127. & ante Chriſti ortum 926. proculdubio ab hoc longiſſimo tempore Carmeliticus Cœtus Mariæ Patronæ conſecratus dicetur. Quid antiquius? Quid vetuſtius deſiderari poteſt? Deinde, ſi poſt Chriſtum Seruatorem natum Ieroſolymitanum, & Nazarethanum eiuſdem Chriſtiferæ domicilium, & veluti patrium ſolum, eadem dulciſſima annuente Virgine, Eliadibus Prophetici Ordinis aſſeclis conceſſa fuerunt, prout cap.4. oſtendit, ſanè cum hoc fuerit primis illis annis infantiæ Eccleſiæ, ab eo quoque tempore Marianus Patronatus comprobatus erit. Adhæc, primæ Capellæ, primiue Sacelli Reginæ Mariæ nuncupatorum erectio, quæ etiam eundem Patronatum indigitat, iuxta dicta eo *cap.4.* an. Chriſti 38. vel circiter, alijs 83. vel prope contigit; ab hoc ergo priſco tempore idem Pa-

Digitized by Google

tronatus fulcimentum accipiet; & in ſignum ipſius ab eo quoque noſtri eiuſdem ſupereminentiſſimæ Virginis Sacellani fuerunt, vt ibidem dictum. Pariter toti Orbi celeberrima, Matrixque Toletana Baſilica eidem Auguſtiſſimæ Imperatrici Mariæ ab Elpidio ex Eliæ aſſeclis, & Apoſtoli Iacobi diſcipulis vno erecta, prout diximus eo *cap.4.* eundem Patronatum indicat ipſo quoque Apoſtolorum æuo demonſtratum. Marianus itidem ille lacus Æpyptius *Stagnus Mariæ* dictus, quem etiam eodem loco diximus Eſſenis, ſeu Eliſſenis (vt quidam hoc nomen interpretantur) adiudicatum fuiſſe, non obſcurè antiquitatem huius Patronatus adumbrat, pro eodem videlicet Apoſtolico ſæculo. Titulus prætere a *Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo* à primitiuæ Chriſtianitatis tempore Carmelitis conceſſus, prout ea quæ ſcripſimus *cap.5.* oſtendunt, vetuſtatem huius Patronatus mirificè comprobat. Quid non dicendum de ſingulariſſimo illo, gratioſiſſimoque fauore, de quo eo loco actum, vt delitioſiſſima Angelicorum ſpirituum Regina Maria dum in humanis ageret, ſua auguſtiſſima præſentia Carmeli Eremitas ſibi contribules, & conuicinos decorare dignata fuerit, eos quandoque inuiſendo, & viſitando? Quid nobilius? Quid præclarius? Quid antiquius? Alia demum eo capite recenſita de viſionibus eiuſdem ſuperamabilis Mariæ ad Beatum Cyrillum melliflui Carmeli Paſtorem, quæ circa annum Chriſti 1200. euenit; Honorio Tertio Papæ paucis poſt annis, Generali Ordinis in Comitijs Generalibus anni 1237. Beato Simoni Anglico, eidem Ordinis Scapulare tribuendo circa ann.1251. & Ioanni Vigeſimoſecundo Summo Pontifici circa 1315. antiquiſſimi temporis curſu hunc Patronatum Virgineum demonſtrari luce clarius innoteſcunt. Alia demum quæ eo loco dicta de ſingulari Deiferæ protectione circa Ordinis propagationem tempore Innocentij Quarti Papæ, S. Ludouici Francorum Regis, Eduardi II. Anglorum, cum alijs ibi recenſitis, huius quoque vetuſtatis teſtes irrefragabiles ſunt.

Sed

2 Sed vetuſtiora adiungamus. Communi tum veterum, tum recentiorum auctoritate recipitur, quòd cum Eliæ parens eum in vtero geſtaret eiuſmodi Sobac (alijs, & communius Sabbacha) patri viſio apparuit: *Viri niueum quendam præſeferentes habitum puſionem ſalutabant, matriſque vberibus in ignem alluebant*. Ita Epiphanius *de Vit. Prophetar. in Elia*. Dorotheus verò *in Synopſ. Prophetarum in Elia* ſic: *Cum naſciturus eſſet Elias, pater eius Sabbacha vidit illum ab Angelis albicantibus ſalutari, & igne tanquam faſcijs inuolui*. Ioannes autem Ieroſolymitanus *in lib. de Inſtit. Monachorum cap.*40. ſic clarius: *Ante quippe Eliæ natiuitatem vidit Sabbacha in ſomnis viros candidatos, qui ipſum ſalutabant*. Eandem quoque viſionem mutuatis, ſeu parum mutatis verbis referunt Comeſtor *in hiſtor. Eccleſiaſtic.*4. *Reg.*2. Caſſiodorus *in vit. Eliæ*, Metaphraſtes *in homil. de Elia* apud Surium 20. *Iulij*; Hugo Cardinal.4. *Reg.*2.& ſine numero alij. Qui porrò fuerint *viri iſti niueum præſeferentes habitum, albicantes*, ſeu *candidati*, exponit Ieroſolymitanus relatus dicens: *Quæ viſio ſibi præſignauit, quales eius filius Elias imitatores ſuæ vitæ Monaſticæ habitus eſſet. Cernens namque Sabbacha viros candidos, vidit in ſpiritu Religioſos per Eliam inſtituendos, quos ideò candidatos vidit, quia Eliam velut monaſticè viuendi exemplar erant imitati, in candore nedum mentali ſinceræ puritatis, ſed etiam corporali habitus albi eos deſuper tegentis*. Vtrumque amplexus eſt Ioannes Trithemius Benedictinus Abbas, qui *in lib. de laudib. Carmel. cap.*2. hæc dixit: *Legimus in hiſtorijs, quod Sabbacha pater Eliæ nondum nati viderit in ſomnijs viros candidatos ſalutantes eum, per quos rectè Fratres Carmelitas accipimus, quos habitu, & conuerſatione candidos eſſe cognoſcimus*. Et ſanè mirabile eſſet, quod cum ſanctus Romualdus per viſum, ſcalam, per quam homines in veſte candida aſcendebant, & deſcendebant, conſpexerit, nouerint ex eo omnes Camaldulenſes Monachos, quorum ipſe auctor fuit hac viſione deſignari; & cum Sabbacha Eliæ pater ſimiliter candidatos viros per ſomnium aſpexerit, illi non æquè Carmeli alumnos denuncient? Ex

hac ergo huius viſionis expoſitione de Eliæ, & Carmeli alumnis, quæ concorditer à noſtris Scriptoribus, & pluribus alijs acceptatur, ad huius capitis intentum elicimus; quòd cum candidus Ordinis noſtri habitus Virginem Matrem, eiuſque illibatiſſimam puritatem denunciet (prout inter alios antiquus Auctor Armachanus apud Vvaldenſem *tom.3. de Sacramentalibus tit.9. cap.89.* dixit, & ſequitur ex eo quod Iſaiæ 35. dicitur: *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, &c.* etenim *Libanus* talis vocatur à candore, qui hebraici *Laban* nominatur) candidati iſti Eliam ſalutantes præſignare videntur candidiſſimam Virginem eorum candore typicè figuratam veluti ſalutaſſe ipſum. Quod ad genus quoddam patrocinij ſpectat, cum ſalutare idem ſit quod *ſalutem dicere*, & ſalutares Epiſtolæ dicantur eæ, quæ conſolationem, & ſolamen afferunt. Quo ſenſu Cicero ad *Atticum lib.7.* dixit: *Salutares te mihi litteras miſiſſe.*

3 Huius quoque patrocinij Mariani in Eliam typus fuit antiquiſſimus is, qui refertur 3.*Reg.*17. de pia illa Sarephtana fœmina, quæ Eliam fugientem pauit, & hoſpitio recepit. Sic enim teſtatur grauis ille Auctor Arnoldus Boſtius *in ſuo de Patronat. Virgin. lib. cap.1.* his verbis Mariam alloquens: *Tu es illa Sarephtana, quæ etiam modo Patri Eliæ in filijs præbes refocillamen, & hoſpitium; cui & iugiter Eliæ ſucceſſio præfœcunda Patris verba deuotione feruida replicabit: Da mihi filium tuum.* Vtique dum quotidiè & crebrius repetit illa, quæ in Antiphona *Salue Regina* dicuntur: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Nec mirum hanc fœminam typum Virginis Mariæ dicamus, cum in hoc etiam eam præfigurauerit, quod Eliam, qui typus eſt Chriſti receperit. Ita enim Auguſtinus *ſerm.10. de tempore* dixit de illa: *Ideo duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Chriſtum excipiebat.*

4 Item ille, qui 4.*Reg.*4. refertur de fœmina quoque pia illa Sunamitide, quæ Eliſeum Patrem noſtrum iter agẽtem etiam excipiebat, alebat; lectulum, menſam, cellulam, & candelabrum præſtabat, ac in Carmeli Monte viſi-

viſitabat: hæc enim pietatis, & charitatis officia quis neget indicare patrocinium Deiparæ in Eliſei alumnos? Vnde Boſtius relatus ſic cum Maria colloquitur: *Tu es illa Sunamitis magna, & honorata in medio populi tui reſidens, quæ Patri Eliſeo paraſti cænaculum, quæ & poſt exceſſum filij, vt in cordibus electorum reuiuiſcat, ſæpe proficiſceris in Carmelum.* Maneat ergo velut inconcuſſum ex dictis Marianum Patrocinium in Eliades antiquiſſimi temporis curſu præſignari; typis ſaltem, & figuris haud obſcurè præoſtendi, & adumbrari.

Quo pacto Antiſtitum litteræ teſtimoniales hunc Virgineum Patronatum corroborent. Cap. VIII.

1 QVOD litteræ quoque teſtimoniales Antiſtitum hunc Virginis Almæ Patronatum in ſui Carmeli Cœtum confirment, vt vel hoc ex capite etiam magis fulciatur, iuxta dicta *cap.* 2. ex dictis in ſuperioribus clarè innoteſcit. Etenim Sixtus Quartus Summus Eccleſiæ Antiſtes in Bulla *Dum attenta*, quam *cap.* 3. retulimus, expreſsè aſſerit Deiparam ſanctiſsimam produxiſse *ſacrum Ordinem Beatæ Mariæ de Monte Carmeli*; ex quibus manifeſtè elicitur ne dum ipſius Patronam compellari poſſe, ſed & titulum hunc Patronatus iure *fundationis* illi competere. Idem quoque habetur ex ſimilibus Gregorij Decimitertij verbis in Bulla *Vt laudes* eodem *cap.* relatis. Vbi de hoc Ordine dicitur: *Sacrum Ordinem ſub inuocatione eiuſdem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quem eadem venuſtiſſima Virgo, & omnibus virtutum floribus inſignita edidit, proprijque nominis titulo inſigniuit.* Antiſtitum etiam litteræ dici poſſunt verba illa *cap.* 5. relata, & ab Eminentiſſimis ſacræ Congregationis Rituum Purpuratis Patribus prolata, vel approbata, videlicet: *Nec verò nomenclaturam tan-*

tum

tum magnificentiſſima Virgo tribuit (Ordini noſtro) *& tutelam, verum & inſigne ſacri Scapularis, quod Beato Simoni Anglico præbuit, vt cæleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur.*

2 Antiſtitum quoq. litterarum titulo appellari poteſt Bulla illa Ioannis XXII. Alexandri etiam Quinti diplomate confirmata, de qua etiam in ſuperioribus, vbi Beatiſſima Mater veluti filios ſuos Eliades amplectens illorum patrocinio Ioannem Pontificem interpellauit, indulgentiam pro ingreſſuris Ordinem obtinuit, & præclarum illum fauorem pro ipſorum animabus in Purgatorio exiſtentibus promiſit. De hac porrò Bulla contra quendam minus pium diſsertatorem Ioannes Cherron Burdegalẽſis *in Priuilegiati Scapularis Vindicijs pag.*40. ſic rectè: *Bulla prima priuilegiati Scapularis nihil iuri diſſonum habet, quia angularem lapidem non diſrumpit, aut diſtrahit, charitatem nequaquam lædit, prauos quæſtus non inducit, Eccleſiaſticam diſciplinam non eneruat, nemini iniuriam irrogat, bonis moribus non officit, conſcientias non illaqueat; ſed fraternitatis iura colens omnibus Chriſtianis de fauoribus Virginis Mariæ bene ſperandi occaſionem præbet.* Meritò proinde hoc Pontificium diploma veluti Antiſtitum totius Eccleſiæ reſcriptum B. Mariæ Patronatum comprobabit.

3 Fauent ad intentum litteræ aliæ, quas etiam teſtimoniales Virginei Patrocinij compellare poſſumus, eiuſdem Ioannis Vigeſimiſecundi in noſtro Mari magno regiſtratæ, in quibus hæc Pontifex: *Sacer Ordo veſter in agro Dominico diuina diſpoſitione plantatus, & glorioſæ Virginis Mariæ titulo ſpecialiter inſignitus, Apoſtolicis gratijs dignè meretur attolli, cuius profeſſores, mundanis à ſe relegatis illecebris, cæleſtium contemplationi vacantes inſiſtunt iugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum Ord. quẽ in ſtatu firmo, & ſolido, & ſtabili decernimus, & volumus permanere, Apoſtolicæ conſiderationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ profeſſores iam dicti nullum internæ paucis patiantur excidium, nullumque Religionis ſtatus perſtrant detrimentũ, ſed eo deuotius diuino cul-*

tui,

tui, ac ſalutis inſtent operibus, quo quietior fuerit ſtatus eorundem, ipſique ampliori fuerint libertate dotati. Hæc, quæ dicebat Ioannes Auenioni 3. Id. Martij Pontificatus anno primo, repetit, & confirmat eius ſucceſſor Clemens VI. in alia Bulla data Auenioni 14. Kalendas Auguſti ſui Pontificatus anno ſexto. Verba autem illa, *quem in ſtatu firmo, & ſolido, & ſtabili volumus permanere*, quæ maximè ſoliditatem, & firmitatem Religionis Dei gratia, & ſuæ pijſſimæ Matris adiutorio conceſſam corroborant, poſita ſunt ab his Pontificibus ad tollendum quendam ſcrupulum ex eo ortum, quòd Gregorius Decimus in Concilio Lugdunenſi, dum quaſdam Religiones extingui iubet, Prædicatorum, & Minorum Ordines in hoc non includendo propter euidentem vtilitatem Eccleſiæ ex ipſis prouenientem; de Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordinibus loquens dixerit: *Ceterum Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium generale* (ſcilicet Concilium Lateranenſe ſub Innocentio Tertio) *præceſſit, in ſolito ſtatu, ſeu in ſuo ſtatu volumus permanere, donec de ipſis aliter fuerit ordinatum.* Ex ijs enim verbis minus pij Gloſſatores intelligere volebant hos duos Ordines à Concilio Lugdunenſi, & Gregorio Decimo confirmatos non iri, ſed ſolum ipſis conceſſum permanere, donec quid de illis faciendum decerneretur. Pro hoc ergo gloſſemate de medio tollendo duo iſti Pontifices Summi ea pronunciarunt.

4 Iulij etiam Secundi verba in Bulla *ad Sacrum*, qua indulgentias à Sixto Quarto, & alijs antiquioribus Pontificibus conceſſas confirmat, animaduerſione digna ſunt. *Ad ſacrum Ordinem Beatæ, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli dirigentes noſtræ conſiderationis intuitum, & attentè perſpicientes, quod ipſe Ordo in horto militantis, & Catholicæ Eccleſiæ fundatus, adiuuante eadem Dei Genitrice, quamplures ſalubres fructus ad ipſius Eccleſiæ firmamentum, & animarum ſalutem in dies continuis pullulationibus producere non ceſſat, meritò illi, eiuſque Eccleſijs, & domibus, ac perſonis conceſſa à*

Sede

Sede Apoſtolica priuilegia noſtræ approbationis munimine roboramus, & ad illius Eccleſiarum, & domorum conſeruationem, augmentum, & multiplicationem Chriſti fideles indulgentijs, remiſſionibus inuitamus, vt exinde, & Religionis propagatio, & animarum earundem ſalus proueniat. Expendat lector illa *Adiuuante eadem Dei Genitrice*, ac ſic comperiet quantum Mariæ Patronatus patrocinium Ordini emolumenti, & adiutorij afferat, Eccleſiæ ipſo ſupremo Apice comprobante.

5 Iuuat ad intentum id quod contigit ſub Vrbano VI. anno ſecundo ipſius Pontificatus. Cum enim maligni quidam dicere non vererentur Carmeli alumnos nequaquam dicendos Fratres Beatiſſimæ Genitricis Dei Mariæ, ſed potius Mariæ Aegytiacæ inhabitantis Carmelum, & olim peccatricis; reſque ad Summum Pontificem per Bartholomæum tituli ſancti Marcelli presbyterum Cardinalem deferretur, Pontifex, vt obloquentium ora obſtrueret, in fauorem Ordinis ſupradicti, Virgineique patrocinij in ipſum omnibus Chriſti fidelibus, *qui Ordinem ipſum, & Fratres eiuſdem Ordinis, Ordinem, ſeu Fratres Beatiſſimæ Mariæ Genitricis Dei de Monte Carmeli vocauerint, nominauerint, ſeu appellauerint, ſi in gratia extiterint, indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum temporibus perpetuis duraturam conceſſit*. Habetur ex teſtimonio dicti Cardinalis in Speculo Ordinis *fol.* 84. Quam ob cauſam ſacra Cõgregatio Rituum in quinta Lectione Officij ſolemnis Commemorationis eiuſdem clementiſſimæ Virginis hæc verba appoſuit: *Quamobrem Fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmelo paſſim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmarunt, ſed & indulgentias peculiares ijs, qui eo titulo, vel Ordinem, vel Fratres ſingulos nuncuparent, conceſſere*.

6 Expendendum maximè ad noſtri capitis ſcopum, plures, etiam antiquiſſimos, Pontifices, gratias, & indulgentias conceſiſſe viſitantibus noſtras Eccleaſis in feſtiuitatibus Deiparæ Virginis: proculdubio ad augendam fide-

fidelium deuotionem erga ipſam, Ordinemque ipſi ſpecialiter dicatum, titulo eius inſignitum, & ſui ipſius Patrocinio in Eccleſia militantem. Habentur autem in Bulla Sixti Quarti *Dum attenta*, quam curioſus Lector in Bullario Rodriguez inter Bullas huius Pontificis *num.*38. reperiet, in noſtroque Speculo Ordinis, alijſque monumentis reſeruatur. Primus horum Pontificum, qui præfatas indulgentias conceſſit fuit Leo Quartus circa annum D. 847. electus, quem ſecuti ſunt Adrianus Secundus circa 867. Stephanus Quintus, ſeu Sextus circa 885. Sergius Tertius circa 904. Ioannes Decimus circa 914. Ioannes Vndecimus circa 930. Sergius Quintus, ſeu potius Quartus circa 1009. & Innocentius Quartus circa 1243. Idem fecerunt, alias gratias ſimiliter concedentes, Alexander Secundus circa annum 1061. Gregorius Quintus circa 995. Gregorius Septimus circa 1075. Gregorius Octauus circa 1187. & Clemens Tertius circa 1188. Omittimus alios poſteriores Pontifices ſimiliter indulgentias concedentes in feſtiuitatibus eiuſdem Deiparæ pro noſtris Eccleſijs, qui in eadem Bulla referuntur. Hi ſunt Clemens IV. Innocentius Quartus, Gregorius Nonus, Benedictus Decimus, Ioannes XXII. Vrbanus V. Nicolaus V.

An inſignia, ſeu ſtemmata Carmelitanæ familiæ hunc Patronatum Virginis Mariæ in ipſam comprobent. *Cap. IX.*

1 Familiæ alicuius inſignia, ſeu ſtemmata Iuſpatronatus alicuius in eam comprobare, ita vt ſi ſtemmata, vel inſignia alicuius Principis in aliqua Eccleſia cernantur, ex hoc comprobetur Principem illum eius Eccleſiæ Patronum eſſe *cap.*2. dictum manet. Quo-

modo

modo ergo noſtro inſtituto id deſeruiat, diſquirendum eſt in præſenti.

2 Et ſanè, cum noſtri Ordinis, & Sodalitij inſigne, nota, ſeu ſignum ſit Scapulare, quod geſtat; illudque à Beatiſſima Matre oſtenſum, & acceptum, ac Beato Simoni Stock Anglico conceſſum fuerit, iuxta dicta c. 5. proculdubio ex eo elicitur eandem pijſſimam Virginem Ordinis, & Sodalitij *Patronam* iure vocandam. Sicut ſi Imperatrix, vel Regina aulico nobili donum aliquod pretioſum conferret, quod ſibi, ſuæque familiæ beneuolentiæ ſignum eſſet, illud vtique etiam Patrocinij teſſera dici poſſet, ac eiuſdem Imperatricis, ſeu Reginæ *inſigne*. Vnde in lectionibus Officij ſolemnis Commemorationis eiuſdem Deiparę à ſacra Rituum Congregatione ſæpius approbati, *Scapulare* Ordinis *Inſigne*, ſeu notam eſſe, ac Virginis tutelam, & protectionem cauſa ipſius his verbis habemus: *Nec verò nomenclaturam tantum magnificentiſſima Virgo tribuit, & tutelam; verum & inſigne ſacri Scapularis, quod B. Simoni Anglico præbuit, vt cęleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur*. Hinc Arnoldus Boſtius *in lib. de Patronat. Virgin. capit.* 10. huius pretioſiſſimi beneficij memoriam agens Mariæ Patronatum, & *Inſigne* in eo agnoſcit ſic canens:

Sic nos Patrona cęleſti fœdere fulſit,
Clementis dextræ clypeo protexit inermes.

Hinc auctores, qui viſionem, ſeu reuelationem hanc referunt, *Scapulare* ab eadem Deipara donatum *Signum* Ordinis vocant, quia ſcilicet *Inſigne* eiuſdem Ordinis ſit. Hi ſunt inter antiquos, recentioribus pluribus prætermiſſis, Arnoldus Boſtius ibi id vocans: *Fraternitatis ſignum*, & ante illum Balduinus Leerſius *in Collectan. exempl. & miraculor. c.* 4. de eo dicens:

Si Ordinis in ſigno moritur quis iure benigno
Soluitur à pœnis, duciturque locis amœnis.

3 Eſſe autem hoc idem *Scapulare* non ſolum Ordinis *Signum*, ſeu *Inſigne*; ſed etiam Deiparæ quoque Virginis in ſuam

ſuam fraternitatem Patrocinij *ſignum*, & *notam*, ac proinde ex hoc capite conuinci eandem Auguſtiſſimam Matrem *Patronam* Ordinis dicendam (vtpote cum ipſius inſignia eiuſdem Virginis ſint, & ab eadem accepta) vix aptiori, vel efficaciori modo fulciri poteſt, quam præ oculis ponendo plurima, & egregia beneficia ab ipſa munificentiſſima Virgine intuitu eiuſdem Scapularis piorum operum, quæ eius intuitu fiunt illud geſtantibus conceſſa. Ex hoc enim, vt ex flumine fons, indigitabitur clarè Scapulare Ordinis ex Virginis benignitate eſſe *Clypeum ſalutis*, & *titulum virtutis contra tela inimici*, prout appellare illud videtur cui à Deipara donatum fuit, B. Simon in Antiphona ab ipſo edita: *Aue Stella matutina*: & *Velut arrham gaudij, ac inuictæ virtutis inſigne*, prout de eo loquitur Boſtius *ſupra*. Nec mirum lectori, cum ſacra Congregatio Rituum in lectionibus ab ea pro Officio ſolemnis Commemorationis approbatis illud ab eadem præpijſſima Virgine Beato Simoni conceſſum dicat: *Vt cœleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur*: & quòd antiquitus in Collecta eiuſdem Officij diceretur, excellentiſſimam Virginem *pro defenſione eiuſdem Ordinis miracula ſuſcitaſſe*. Aliqua ergo ex ijs, probatiora tamen, pluriumque teſtimonijs roborata, in medium afferenda. Vt autem methodicè procedamus, gloſſæ inſtar ea exponemus, quæ auctores noſtri, dum de Scapularis Ordinis B. Simoni donati mentionem faciunt ab eadem clementiſſima Virgine donante dicta ſubiungunt, ſcilicet: *Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni*. Etſi. vt ſupra *cap.* 5. *num.* 15. dictum, à Virgine ſanctiſſima prolata non fuerint, ſed à noſtris piè præmeditata.

4 Et quidem illud *Signum ſalutis*, ſeu *Clypeus ſalutis*, etſi infallibilitatem ſecum non ferat, cum certum ſit, & in præcedentibus, videlicet *cap.* 5. notatum, ad ſalutem vel beatitudinem animæ plura multo requiſita eſſe præter habitus geſtationem, imò quod ipſa Scapularis induitio ſine illis inutilis iure cenſeatur; nihiloſecius ob magnificentiſ-

ſimæ

ſimæ Virginis pietatem, & interceſſionem ſæpius actum eſt, vt illud geſtantes, ac pia opera pro eo requiſita adimplentes, animæ ſalutem, & liberationem à gehennæ incendijs conſecuti fuerint. Caſus ergo aliqui pro hoc intento ſpeciales in medium afferendi, recentiores quidem, nam antiquiores in antiquis Ordinis monumentis exarati leguntur: qualis eſt ille, quem *cap.5. num.* 16. retulimus; et viuente Beato Simone contigiſſe ex Petro Svvanygntonio diximus. Primus talis eſt: *Ante paucos annos Paduæ in Italia contigit iuuenem quendam liberioris vitæ licentiam ingredi, ſeque varijs flagitijs, & criminibus inficere: hic à noſtris Patribus paulò ante ſacro Scapulari fuerat donatus, & Beatiſſimæ Virginis Confratetnitati adſcriptus. Quadam die ſui pertæſus, ſibique vt ait Regius Propheta, factus grauis, in deſperationem adducitur (quippe vermis ille malæ conſcientiæ, mirum in modum peccatores corrodit, & dilacerat) ingreditur cubiculum, veſtibus ſe exuit, & pugionem præ manibus arripit, remanſerat tantummodo ſacrum Scapulare ſupra induſium, & ecce perditus iuuenis ictu validiſſimo pectus proprium percutit, vbi adhærebat ſacrum Scapulare. Mirum dictu, nihil efficitur, ſed pugio ad ſacri Scapularis præſentiam hebetatur. Apprehendit ſecundò deſperatus iuuenis pugionem, repercutit, nec quicquam efficit; tertiò aggreditur, ſed pugio, naturalis nocumenti oblitus non ingreditur. His ita peractis extemplo operante auxilio, & patrocinio Virginis Mariæ compungitur, & culpam confeſſario confeſſus, meliorem vitam aggreſſus eſt, non alteri niſi ſacro Scapulari illud miraculum attribuens.* Mirabilem hunc caſum his verbis retulit Cyprianus à ſancta Maria vir pius, & doctus ex Patrum Diſcalceatorum Congregatione *in lib.* cui titulus *Theſaurus Carmelitarum capit.* 12. Qui etiam ſequentem refert.

5 *In Flandria ſuperioribus annis in obſidione Bredana, quidam miles vexilliferi partes agens, à noſtris ſacro Scapulari donatus fuit. Hic ſicut & generoſus miles erat, ità liberius periculis ſeſe exponebat. Quadam vice cum frequentius hoſtes globos ignitos eiacularentur, forte fortuito, ecce vnus directus*

recto tramite ad hunc militem aduolat; mirabile. Vbi hic globus ante eum conſtitit ſuarum virium oblitus, ante pedes dicti militis abſumitur, & in terram procidit, cum tamen, ſicut idem depoſuit, eiuſmodi globus tantæ adhuc vehementiæ fuiſſet, vt in longam protrahi, & plurimos interimere valuiſſet. Hic poſtmodum terram deoſculatus, & brachia in altum extendens, infinitas illico grates Beatiſſimæ Virgini de Monte Carmelo rependit. Faſſus etenim fuit ſe in peccato lethali tum temporis extitiſſe, ac vbi globi illius aduentum præuidiſſet, confeſtim in corde nomen Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo inuocaſſe, ne ſic in peccato moreretur. Ita hic depoſuit, & noſtri Patres in Flandria diligenter inquirentes, & ab alijs militibus, qui præſentes fuerant teſtimonia accipientes, pro comperto rem ita ſucceſſiſſe habuere. Caſum hunc Flandrienſes alij etiam referunt, & mirè extollunt. Alium quoque, quo cùm animæ ſalus, tum vita corporis Deiparæ interceſſione geſtanti Scapulare conceſſa comprobantur, ſic refert idem Cyprianus.

6 *Nuper eodem modo quidam miles propter nonnulla flagitia morti adiudicatus fuit, nempè, vt ſicuti in bello moris eſt, non tortoris manu vitam finiret, ſed vt ſclopetorum globulis à commilitonibus traijceretur; aggrediuntur ex mandato Chiliarchæ deputati milites, & globos emittunt; at globi vbi ad militem morti adiudicatum pertingebant, omnes ſine vlla læſione in terram defluebant; nec poſſibile fuit vllum reo afferre nocumentum. Mirantur adſtantes, ſtupet Chiliarcha, quæ ſubſit ratio, inquiritur; nec aliud quidpiam potuit adducere reus, niſi quod ſacrum Scapulare Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo geſtaret. Quo viſo libertati donatur, ſuique facti pœnitens, meliorem vitæ rationem inſtituit.*

7 Anno etiam milleſimo ſexcenteſimo duodecimo, Annielus Tramontanus Neapolitanus Ciuis ab inimicis lethaliter percuſſus in terram cadens pro mortuo habitus eſt, vt talis ad domum delatus, & conſanguineorum lacrymis deploratus. Sed ecce poſt duas horas reuiuiſcens Confeſſorem petijt, & cum peccatis ſimul confeſſus eſt Virgi-

neæ Matris pietate, & habitus Carmeli deuotione vita donatum eſſe ea quarta feria ab ipſo diligenter obſeruata, vt ſua peccata confitendo Inferni pœnas ſibi debitas effugeret. Poſt confeſſionem ergo in pace obdormijt. Caſum referunt Philopolus Capuccius *in ſuo Monte Carmelo*, & Seraphinus Georgius *in Informatione pro Confratribus Carmelitarum cap.*14. Qui etiam referunt ſimilem alium euentum qui Antuerpiæ contigit anno 1634. cum Ioanne Politano.

8 Omni etiam admiratione dignus eſt euentus alius, quem ijdem Flandrienſes Patres *in Libell.* cui titulus *Breue Compendium cap.*4. referunt. Is eſt de quodam Croato milite, qui cum in bellico conflictu apud *Pontamouſon* anno 1640. ab hoſtibus vndique cinctus plura excepiſſet vulnera, & grauiſſimum gladij ictum capiti ſuo imminentem cerneret, exclamare cœpit: *Facite quod vobis placet; ego enim, quia filius ſum Virginis de Monte Carmelo, & eius habitum geſto, non moriar ſine confeſſione*. Ita actum: nam lethiferè vulneratus, ferme exanguis, Virgine opitulante, qua potuit ad vnam leucam perrexit; vbi inuento Sacerdoti ſua peccata confeſſus expirauit. En iam, mi lector, qualiter Carmeleum Scapulare *Signum ſalutis* ſit. Prout ex ijs, & alijs innumeris euentibus, quos prætermittimus breuitati conſulentes, hauritur.

9 Nec mirum hos, & plures alios ob Virginis Carmelitarum Patrocinium, habitus Ordinis geſtationem, ac piorum operum, quæ illum geſtantes efficiunt, exercitium, animæ æternam ſalutem conſecutos fuiſſe; cum hiſtoriæ plenæ ſint innumeros extitiſſe, qui è tartareis faucibus, quibus ob ſcelera commiſſa adiudicandi erant, Virginea interceſſione erepti fuerint. Eſt nimirum Maria *Terra* peccatoribus, *quia per peccatum cadentes ſuſcipit*, vt inquit Ricardus à ſancto Laurentio *lib.*8. ne ſcilicet cadant in Infernum, qua ſubtracta, illuc deſcenderent, ſicut Core, Dathan, & Abiron *num.*16. Vnde ſubiungit: *Ideo oranda iugiter, ſuccurre cadenti*. Quo ſenſu Diuus Bernardinus Senenſis

nenſis *ſerm*.3. *de nom. Mariæ art*.2.*cap*.2. dixit: *Dominatur in Regno Inferni*. Sed quo pacto? Numquid ex Inferni carcere aliquem eduxit? Nihil de hoc dicimus: ſed ſolum cum eodem Bernardino: *Domina, vel Dominus dicitur quaſi domans manus, quia ipſa domat Dæmonum manus, ac poteſtates ne nimirum in animas ad libitum ſæuire poſſint*. Hinc illud Iſai.7. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum Inferni*, annexo illo *Ecce Virgo concipiet*, à Guarrico Abbate *ſerm*.3. *de Annunc*. de eadem Virgine intelligitur, dum ait: *Signum habemus in bonum etiam Matrem, & Filium*. Ea ergo ex Inferni barathro peccatores illuc venturos poteſtate, & miſericordia eruit. Plura circa hoc miracula, qui deſiderat, legat Scriptores Marianos, præſertim Cæſarium, Coluenerium, & Marraccium.

10 Verba illa *Salus in periculis* manifeſtè denotant Deiparæ patrocinium pro his qui Habitum ſuum portant, & pia opera pro ipſo requiſita exequuntur. Quod varij caſus mirabiles, & miraculoſi comprobant. Quorum vnus eſt: *Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo in Coloniæ Agrippinæ Ciuitate quidam iuuenis mirum in modum toto corpore exagitabatur; nonnulli phrenetico morbo, alij magicis, & diabolicis artibus adſcribebant; parentes, filij aliàs chariſſimi caſum affectu tenero condolentes, de opportuno ſalutis remedio conſulebant; varijs remedijs tentant, an infirmo ſalus recuperari poſſet. Interim, iſtis nihil iuuantibus, innotuit parentibus quemdam miris, & occultis artibus eiuſmodi infirmitatibus mederi; accerſitur confeſtim, & vt artem ſuam in filium exerceat enixè mercede oblata rogatur. Ille dictis annuit, & ad infirmi lectulum accedens, quoddam medicinæ, vel vnguenti genus ementiens infirmo applicat. Iuuenis poſt aliquod temporis interuallum conualeſcit, ita vt priſtinæ ſaluti reſtitutus videretur. Interea poſt aliquot dies in idem morbi genus reincidit. Quo à parentibus viſo, & morbum, & morbi remedium pro ſuſpectis artibus habentes ad noſtrum Conuentum pergunt, & vnum è noſtris Patribus petunt. Mittitur itaque vnus ex noſtris ad miſerum iuuenem. Ille, viſo Patre, extemplo eum intuetur toruo vultu, ſubauſtera fronte, oculis emicantibus, toto corpore fremebundus. Ex*

 ſignis

ſignis bis certior redditur Pater de latitante malo, & diabolica fraude. Interea, præmiſſis aliquot orationibus, & exorciſmis iuuenem donat ſacro Scapulari Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo: nec fruſtra, nam miſer ſanitati priſtinæ reſtitutus fuit: nec amplius ad hos vſque annos tali infirmitate fuit correptus. Refert hunc caſum Pater Cyprianus *ſupr. cap.* 15. Vbi & ſequentem.

11 *Anno milleſimo ſexcēteſimo vigeſimo quidam non infimæ notæ vir magna, & diuturna corporis infirmitate in lectulo detinebatur. Variorum medicamentorum vſu pluribus alijs ægritudinibus aditum fecerat. Tandem à medicis velut humani remedij incapax, deſeritur. Ille Dei Opt. Max. non immemor ad caleſtes medicinas confugere ſtatuit: vbi enim humanum deficit auxilium, ibi incipit diuinum. Iubet itaque ille quempiam ex noſtris accerſiri: accurrit illico Pater, charitatis officia exhibiturus; cumque infirmo cubiculum ſubintraſſet, fermè extremos iam agere agones deprehendit. Quo viſo, ad lectulum accedit, & his verbis iacentem alloquitur: Clariſſime Domine, Deus miſericors ſit tibi, & corporis, & animæ ſalutem donet: ecce mecum excellentiſſimum ſalutis remedium porto. Moribundus ad hæc verba, aures erigit, & voce conciſa interrogat, quale foret iſtud remedij genus. Subiunxit Pater, mecum ait fero ſacrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Scapulare, ſi hoc cordatè ſuſceperis, ſpes ſalutis temporalis tibi eſt, modo ſpirituali animæ tuæ ſaluti congruum fuerit. Eſt namque hic habitus,* ſalus in periculis. *Vix hæc verba abſoluerat Pater, & ille lætitia geſtiens, ſacrum hoc Scapulare ſibi imponi enixè deprecatur. Illico, viſa eius diſpoſitione, & interiori zelo, donatur ſacro Habitu. Mirabile profectò! extemplo priſtinæ ſanitati reſtituitur: ita vt ex tunc è lectulo aſſurgens ſanum, & incolumem ſeſe omnibus adſtantibus exhibuerit, meritis videlicet Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.*

12 Quia autem Auctor iſte pius, doctus, & dignus eſt cui fides adhibeatur, ideo tertium alium mirabilem caſum quem eo loco refert, ipſius verbis hic adducimus. *Eodem tempore in eadem ciuitate Colonienſi fuit quædam puella, maleficio diabolico faſcinata: mirabile, & incredibile erat maleficium, adeò*

quippe

quippe angi ſolita erat; vt catenis ferreis eßet cohibenda. Huius mater vidua immenſo dolore cruciabatur; præſertim cum nullum deprehendere valeret remedium, quo filiæ ſubueniret. Tandem ad Dei ſeruos recurrere parat, atque è noſtris Patribus quendam vocat. Cum is de ſuperioris venia puellæ ædes ſacrum Scapulare ſecum deferens acceſſiſſet: illa, vbi Patrem aduertit, tota fremebunda ad lectuli angulum violenter ſe retrahit: oculis flammantibus, fronte contracta, ore frementi, toto corpore anhelans magno adſtantibus erat ſtupori. Nihilominus ante lectum genuflexus Pater ad Deum preces ex intimo cordis affectu fundebat, quo finito aßurgens, puellę ſacrum Scapulare Beatę Virginis de Monte Carmelo imponit. Nec mora, illa ad ſe reuerſa ſaluti reſtituitur, & immenſo omnium adſtantium gaudio, præſertim ſuæ dilectę matris, è lectulo ſana exurgit. Iniungit ei Pater, vt ſumma diligentia, ac ſtudio ſacrum habitum cuſtodiat, nec vnquam dimittat, annuit illa, & vltro promittit. Sed ecce ſacri Scapularis efficaciam, & annotate quicumque hęc legitis. Poſt nonnullum temporis interuallum contigit, vt ſacrum habitum deperderet. Quo facto pedetentim priſtinis maleficijs, & artibus diabolicis rurſum infeſtatur. Quid itaque facto opus? Recurritur ad prædictum Patrem, qui cum domum intraſſet, iterum puellę ſacrum Scapulare imponit. Illa denuò ſanatur, minatur illi Pater ſi per negligentiam ſacrum habitum dimiſerit, fore vt eodem malo corripiatur: illa ſpondet ſe neutiquam dimißuram. Voti tandem compos facta puella, aliquandiu operam dedit, vt prædictum habitum apud ſe retineret: tandem neſcio quo caſu iterum ſacrum habitum deperdit. Et ecce iterum malo illo corripitur. Vidiſſes hic puellæ matrem, vbi rem ſubintellexerat, ira dolori mixta commoueri, curis angi, & filiæ caſum ſubirato animo condolere. Quid conſilij? Ex more ad priſtinum ſpiritualem medicum regreßum eſt, rogat ille: Quid cauſę ſubſit? Reſpondetur, puellam maleficio iterum inuolui. Inquirit ille, vbinam ſit ſacer habitus? reſpondetur puellam neſcire. His auditis Pater charitate, quæ patiens eſt, ductus ad puellæ ædes regreditur, afflictæ matris precibus euictus rurſum ſacro Scapulari filiam donat. O mirabilem eximiæ prouidentię ſeriem; & ſacri Scapularis dignitatem, puella extemplo ſanatur. At Pater incuriam aſperioribus verbis increpat: illa Patris pedibus

Digitized by Google

aduoluta ſpondet firmiter Beatę Virgini Mariæ de Monte Carmelo ſe omni ſtudio ſacrum Scapulare impoſterum retenturam. Itaque ſuo malo cautior facta puella prudentiam ętatis priſtinę maiorem induens, omni ſedulitate, ad hęc vſque tempora, ſacrum habitum geſtat, ac conſeruat, nec vlla quidem maleficij diabolici ſuſpicio hactenus oborta eſt, tanta eſt vis, & efficacia ſacri Scapularis. Eundem etiam caſum, etſi ſub compendio, refert externus auctor Laurentius Chryſogonus *in Mundo Mariano par. 1. diſcur. 17. num. 73.*

13 Sed celebris alius, & toti fermè Italiæ notus caſus in præſenti non omittendus, qui Cremonæ contigit anno 1625. typiſque editus fuit in eadem Vrbe, & iterum Bracciani Superiorum permiſſu. Quidam nonnullorum criminum reus à publicis Iuſtitiæ miniſtris apprehenſus in carcerem Cremonæ Vrbis conijcitur, vbi cum aliquo tempore incluſus maneret, in ſe reuerſus, errorum pœnitens commiſſorum ad Matrem miſericordiæ confugit per tres ferme annos ferijs quartis abſtinens, & ab ipſa poſtulans, vt à morte liberaret. Sui poſtea oblitus per aliquot dies à cœpta deuotione deſtitit; ſed negligentiæ pœnitens Imaginem Carmelitiçę Virginis, & Scapulare, quod de manu Sacriſtæ Monaſterij ſancti Bartholomæi Carmelitarum accepit, deuotè obtinuit. Interim patibulo damnatur, & ad ipſum ducitur Sabbato die 22. Martij. Carnifex duplici fune, ſubtili vno, altero groſſiori collum miſeri iuxta morem cinxit, & è furca penſum, qua poterat vi premebat, vt ſuffocaretur. Sed, ò dictu mirabile! vtroque rupto, & in partes diſiecto fune, in terram cecidit facie ad Cælum reſpiciens. Miratur populus incolumem cernens. Acclamatur ſubitò; properant omnes, quænam ſubſit ratio inquirunt; nullamque aliam niſi ſacri Scapularis induitionem reperire poſſunt; quòd eo tempore, quo ad patibulum duceretur, enixè Beatam Virginem de Monte Carmelo exoraſſet, vt ei eſſet ſalus in eiuſmodi periculo. Vocabatur hic Ioannes Baptiſta Boſſius, alias Zamarinus, & poſt euentum habitum Conuerſorum in noſtro Conuentu

Cre-

Cremonenſi ſuſcepit, vixitque per aliquot annos religioſè vſque ad mortem. Etſi enim poſtquam in terram decidit, iterum carceribus mancipatus fuiſſet, nihilominus ob gratiam receptam cùm à Senatibus Cremonenſi, & Mediolanenſi, tum ab Excellentiſſimo Duce de Feria eo tempore eius Status Gubernatore delictorum condonationem accepit. Hunc notabilem caſum referunt Philocolus Capuccius *in lib. cui titulus Monte Carmelo*, Cyprianus à ſancta Maria *ſupra*, Seraphinus Georgius *in Informatione pro Confrat. Carmelit. cap.* 14. Laurentius Chryſogonus Ieſuita *ſupra num.* 74. & apud me habeo typis mandatum, & authenticatum litteris Excellentiſſimi Senatus Mediolanenſis ad Excellentiſſimum Ducem de Feria, & ipſius Zamarini coram publico Notario confeſſione.

14 Similem alium caſum refert exterus auctor Benedictus Gononus Cæleſtinus *in Chron. ſanctiſſimę Deiparę* anno 1587. his verbis: *Lutetię è regione Carmelitani Cœnobij, in loco qui vulgo dicebatur Mauberti, cum quidam lata à Magiſtratu ſententia extremo damnatus ſupplicio pependiſſet, velut è graui ſomno experrectus reuixit, multiſque poſtea annis apud ipſos Carmelitas, ſaluo prorſus, & incolumi corpore vitam degit. Is, vt aiunt, vt ſuſpendium, Diuæ Virginis, quæ in illa Aede Carmelitana religioſiſſimè colitur, ſeſe deuotiſſimè commendarat.* Teſtes quoque adſumus plures hoc tempore Romæ commorantes, quod aliquibus retro annis ſub Pontificatu Vrbani VIII. quidam ex Burgundiæ partibus ad Vrbem accedens coram multis ſe multo tempore furca ſuſpenſum, & pro exanimi derelictum Virgineæ Matris Carmelitarum adiutorio incolumitati redditum, fatebatur. Teſtis etiam Bencius *in hiſtor. Collegij Traiect.* de quodam alio mirabili euentu, quem etiam refert Benedictus Gononus *ſupra*; de milite quodam Italo ex Sodalitio Beatæ Virginis, qui cum ob maleficium in furcam actus eſſet, & Carnifex quod ſui intererat, perfeciſſet, omnibus abſcendentibus dirupto fune in terram cecidit. Accurrunt cuncti, recreare miſerum curant; nec inaniter, poſt horam namque vita ei donata, haud dubiè

aduoluta ſpondet firmiter Beatę Virgini Mariæ de Monte Carmelo ſe omni ſtudio ſacrum Scapulare impoſterum retenturam. Itaque ſuo malo cautior facta puella prudentiam ętatis priſtinę maiorem induens, omni ſedulitate, ad hęc vſque tempora, ſacrum habitum geſtat, ac conſeruat, nec vlla quidem maleficij diabolici ſuſpicio hactenus oborta eſt, tanta eſt vis, & efficacia ſacri Scapularis. Eundem etiam caſum, etſi ſub compendio, refert exterus auctor Laurentius Chryſogonus *in Mundo Mariano par. 1. diſcur. 17. num. 73.*

13 Sed celebris alius, & toti fermè Italiæ notus caſus in præſenti non omittendus, qui Cremonæ contigit anno 1625. typiſque editus fuit in eadem Vrbe, & iterum Bracciani Superiorum permiſſu. Quidam nonnullorum criminum reus à publicis Iuſtitiæ miniſtris apprehenſus in carcerem Cremonæ Vrbis conijcitur, vbi cum aliquo tempore incluſus maneret, in ſe reuerſus, errorum pœnitens commiſſorum ad Matrem miſericordiæ confugit per tres ferme annos ferijs quartis abſtinens, & ab ipſa poſtulans, vt à morte liberaret. Sui poſtea oblitus per aliquot dies à cœpta deuotione deſtitit; ſed negligentiæ pœnitens Imaginem Carmeliticę Virginis, & Scapulare, quod de manu Sacriſtæ Monaſterij ſancti Bartholomæi Carmelitarum accepit, deuotè obtinuit. Interim patibulo damnatur, & ad ipſum ducitur Sabbato die 22. Martij. Carnifex duplici fune, ſubtili vno, altero groſſiori collum miſeri iuxta morem cinxit, & è furca penſum, qua poterat vi premebat, vt ſuffocaretur. Sed, ò dictu mirabile! vtroque rupto, & in partes diſiecto fune, in terram cecidit facie ad Cælum reſpiciens. Miratur populus incolumem cernens. Acclamatur ſubitò; properant omnes, quænam ſubſit ratio inquirunt; nullamque aliam niſi ſacri Scapularis induitionem reperire poſſunt; quòd eo tempore, quo ad patibulum duceretur, enixè Beatam Virginem de Monte Carmelo exoraſſet, vt ei eſſet ſalus in eiuſmodi periculo. Vocabatur hic Ioannes Baptiſta Boſſius, alias Zamarinus, & poſt eucatum habitum Conuerſorum in noſtro Conuentu

Cre-

Digitized by Google

Cremonenſi ſuſcepit, vixitque per aliquot annos religioſè vſque ad mortem. Etſi enim poſtquam in terram decidit, iterum carceribus mancipatus fuiſſet, nihilominus ob gratiam receptam cùm à Senatibus Cremonenſi, & Mediolanenſi, tum ab Excellentiſſimo Duce de Feria eo tempore eius Status Gubernatore delictorum condonationem accepit. Hunc notabilem caſum referunt Philocolus Capuccius *in lib. cui titulus Monte Carmelo*, Cyprianus à ſancta Maria *ſupra*, Seraphinus Georgius *in Informatione pro Confrat. Carmelit. cap.* 14. Laurentius Chryſogonus Ieſuita *ſupra num.* 74. & apud me habeo typis mandatum, & authenticatum litteris Excellentiſſimi Senatus Mediolanenſis ad Excellentiſſimum Ducem de Feria, & ipſius Zamarini coram publico Notario confeſſione.

14 Similem alium caſum refert exterus auctor Benedictus Gononus Cæleſtinus *in Chron. ſanctiſſimę Deiparę* anno 1587. his verbis: *Lutetię è regione Carmelitani Cœnobij, in loco qui vulgo dicebatur Mauberti, cum quidam lata à Magiſtratu ſententia extremo damnatus ſupplicio pependiſſet, velut è graui ſomno experrectus reuixit, multiſque poſtea annis apud ipſos Carmelitas, ſaluo prorſus, & incolumi corpore vitam degit. Is, vt aiunt, vt ſuſpendium, Diuæ Virginis, quæ in illa Aede Carmelitana religioſiſſimè colitur, ſeſe denotiſſimè commendarat.* Teſtes quoque adſumus plures hoc tempore Romæ commorantes, quod aliquibus retroannis ſub Pontificatu Vrbani VIII. quidam ex Burgundiæ partibus ad Vrbem accedens coram multis ſe multo tempore furca ſuſpenſum, & pro exanimi derelictum Virgineæ Matris Carmelitarum adiutorio incolumitati redditum, fatebatur. Teſtis etiam Bencius *in hiſtor. Collegij Traiect.* de quodam alio mirabili euentu, quem etiam refert Benedictus Gononus *ſupra*; de milite quodam Italo ex Sodalitio Beatæ Virginis, qui cum ob maleficium in furcam actus eſſet, & Carnifex quod ſui intererat, perfeciſſet, omnibus abſcendetibus dirupto ſune in terram cecidit. Accurrunt cuncti, recreare miſerum curant; nec inaniter, poſt horam namque vita ei donata, haud dubiè

Deiparæ beneficio, quam in mira ſemper habuit obſeruantia. Alium perſimilem caſum de quodam Thoma laqueo ſuſpenſo, & antennæ cornu religato, à morte tamen ob Lauretanę Virginis patrocinium liberato, habet lector ex Turſelino *Lauretan. hiſtor. lib.* 4. *c.* 20. & dicto Gonono *ſupra ann.* 1570. Nec abſimilem ex libro cui titulus *Carmelus Poeticus* à Philippo Viſquin pio, & docto viro Ordinis noſtri alumno, Geldriæ Poeſis, & Rethorices Præceptore edendo.

15 Ex quo etiam Patre, & litteris ad me datis 9. Octob. 1647. inſignem alium, mirabilemque caſum de Virginis Matris protectione in eos, qui ad ipſam fideliter confugiũt hìc tranſcribendum, cum ex ipſo valde firmetur, quod Carmelitica Parens ſit *ſalus in periculis*. Verba hæc ipſius: *Dum Hollandi bella crudelia in Hiſpanum committerent, multas Ciuitates flammis, & ferro occuparunt, & vſque ad Geldriam nullo, vel inutili obſtaculo triumpharunt, imò ipſi Geldriæ, quæ ſola pene eorum viribus reſiſtebat dolos nocte, & die aſtruebant, donec à profugo, & infido milite intellexerunt Geldriam carere militibus, quos in adiutorium aliæ Ciuitatis miſerat. Militem proditorem remunerant, & ingens inimicorum turba cum curribus onuſtis, ſcalis, funibus, & innumeris machinarum bellicarum inſtrumentis, ſtratagemate nocturno Geldriam accedit, aduolantem equitum, & peditum innumerabilem copiam, pauci milites in mœnibus prò more vigilantes aduertunt, neque vulgus ad arma vocant, quia eius imbecillitatem noſcunt, ſed citò citò ad Gubernatorem, & Senatum accurrunt, & vocibus lacrymoſis hoſtium aduentum prædicant. Gubernator, & Magiſtratus etiam in lacrymas profluit, neque vllam reſiſtentiam præparat, quia credit inutilem, neque ciuium turbas ad mœnia ducit, ſed ad templum Ordinis Carmelitarum, & intrantes, reperiunt Imaginem Beatæ Virginis de Monte Carmelo, ex ſolemnitate diei præcedentis in medio templi relictam, quam Confratres, licet tunc pauci, ad proceſſionem pro indulgentijs tulerant. Tunc Gubernator, proiectis ad pedes Beatæ Virginis clauibus Ciuitatis, prouolutus orabat, dicens alta voce: O Maria auxilium Chriſtianorum, ſis*

Gel-

Geldriæ ſalus in periculis. Et ecce ſubito pluuia è Cælo mirabilis cum qua, ecce ecce apparet hoſtibus (ſicut poſtea retulerunt) Beata Virgo Maria Carmelitico habitu gladium in manu habens, & circa illam à lateribus pluſquam viginti millia hominum rubris accinctorum baltheis, inter quos aliqui credunt ſanctos Galenum, & Valenum martyres interfuiſſe, qui omnes fulmina, & ignes hoſtibus minabantur, quæ omnia videntes Hollandi, ita feſtinam capiebant fugam, vt mediam ſuorum inſtrumentorum partem retro reliquerunt. Quare ciues ſummo mane, gladios, haſtas, clypeos, & curricula inuexerunt, quorum reliquias, & ſigna in templo ante Imaginem Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo appenderunt, & ſolemnem quotannis per circuitus Ciuitatis proceſſionem inſtituerunt, cui ſæpe ego interfui, & vidi clypeos, & enſes, &c. Hanc Hiſtoriam in Theatro repræſentaui, & in templo verſibus fusè deſcriptam appendi, & in meo Carmelo Poetico ſcripſi fol. 40. quæ ſic incipit:

Virgo Maria, tuas cur bellica pendet ad aras
Machina belligeri tantaque ſigna Dei?
Sat ſcio. Proh quantas debet tibi Geldria grates.
Geldria per numen libera ab hoſte tuum!

16 Ex his porrò, & mille alijs miraculoſis euentibus luce clarius innoteſcit, qualiter verbum illud *Salus in periculis* de Carmelitico Scapulari dictum veriſſimum eſſe comprobetur. Ac proinde (quod ex eo conſectariè) Auguſtiſſimam Virginem merito Cœtus Carmelitici ſub eo inſigni ſtemmate militantis Patronam demonſtrari. Qui verò mirabiles pleroſque huius generis caſus ſcire deſiderat, adeat Cyprianum, Philocolum, Georgium, & Flandrenſes relatos; & librum Gallicum, cui titulus eſt *Fons Eliæ*, ac de exteris Georgium Colueneriurn *in Kalendar. Beatiſſ. Virg.* Benedictum Gononum *in Chronic. ſanctiſſimæ Deiparæ*, et Hippolytum Marracium *in ſuis Marianis Operibus*. Apud quos etiam celebris ille caſus eſt non omnino ad intentum extraneus ex *Chronic. Minorum lib. 8. cap. 32.* extractus; de tribus Franciſcanis, qui cum iter ſimul agerent, & aere ſubitò turbato, tonitrua mugirent, audita ſit

vox:

vox: *Occide, occide*, & ſtatim vnus ipſorum fulmine percuſſus obierit; & ſecundò eadem voce audita, ſecundus item fulminis ictu ceciderit; at tertius ad communem Patronam confugiens Antiphonam *Sub tuum præſidium* recitare cœperit, merueritque proinde, vt quamuis vox illa *Occide, occide* tertio audita fuerit, nihilominus alia ſucclamauerit: *Non poſſum*. Sicque effugerit mortem Virginis patrocinio.

17 Verba autem illa reuelationis iſtius *fœdus pacis, & pacti ſempiterni* abſdubiè denotant hunc Deiparæ Patronatum in ſui Carmeli Cœtum perpetuum fore, & vſque ad mundi finem iugiter permanſurum, conformiter etiam ad dicta ſuperius *cap.5. n.30.* de reuelatione Beato Petro Thomæ Conſtantinopolitano Antiſtiti facta. Idque ſæpiſſime comprobante experientia apparuit in caſibus eo *cap.5.* relatis, in quibus conſtat eandem fideliſſimam Virginem Matrem Ordini noſtro periclitanti, & in euerſionis diſcrimine poſito manus auxiliares potentiſſimas præbuiſſe, quibus ab imminentibus hoſtibus, & periculis erueretur, & per Chriſtianum Orbem, aduerſariorum inſidijs expugnatis, latius propagaretur. Adeo vt noſtris meritò adaptetur illud Ierem.1. *Bellabunt aduerſum te, & non praualebunt, quia ego*, (Dei Parens) *tecum ſum, vt liberem te*. Relegat lector, quæ eodem loco dicta manent de Reuelatione eiuſdem Dei Parentis Beato Cyrillo Ordinis Generali facta, qua denotabatur extra Terram ſanctam, & Palæſtinam dilatandum fore, eo quòd ſancta illa Regio, in qua plurimarum manſionum gloria florebat, in Turcarum manibus tradenda eſſet. Et aliam ſimilem alteri Generali Priori in Capitulo Generali factam pro miſſione Fratrum in partes Occiduas ad Monaſteriorum fundationem. Ac ea quæ de viſione Honorio Tertio Papæ facta pro Ordinis confirmatione, æmulis confractis adduximus. Item ſingularia eiuſdem Virginis patrocinia ſancto Ludouico Galliæ Regi, Eduardo Angliæ, & in ciuitatibus Toloſæ, & Montis Peſulani oſtenſa pro Ordinis multiplicatione. Maximè viſionem eiuſ-

Digitized by Google

eiuſdem Virginis Almæ Ioanni Vigeſimoſecundo Papæ factam pro ipſius Ordine confirmando, priuilegijſque muniendo.

18 Ordinis tandem ſtemmata, ſeu arma, in quibus candidum, ſeu album ſpatium duabus hinc & inde Stellis decoratum; & aliud ſubnigrum, ſeu griſeum alia quoque Stella ornatum; diademate Stellarum duodecim redimita, cernūtur (vt ad aliud, quod in titulo huius capitis indicauimus, accedamus) almificum hoc clementiſſimæ Matris patrocinium demonſtrare facilè oſtendi poteſt. Si enim, vt quidam autumare videntur, candor ille, ſeu albi coloris ſpatium nubem fulgidam denotat, proculdubio eandem ſupercandidiſſimam, & illibatiſſimam Virginem indicat, quæ ſub nubeculæ (ob eximiam ſui humilitatem) typo Protoparenti Eliæ in Carmeli Monte oranti pro primæua Ord. Inſtitutione præmonſtrata fuit, prout ex Patribus & Doctoribus *c.*3. comprobauimus: ac proinde etiam ipſius ſingulare patrocinium, quo veluti ſub protectionis alis Ordinem tuetur. Similiter ſi ſpatium illud ſubnigrum, vel quaſi griſeum, in cuius medio candida Stella intexta conſpicitur, Carmeli Montem originarium Ordinis domicilium ab eadem Deipara, dum in viuis eſſet, ob loci reuerentiam viſitatum denotat, abſdubiè quoque indigitat eum Montem ſub Virginea protectione manere, quam per candorem illum ipſi ſuperpoſitum præmonſtrari dicitur. Et ſane ſi iuxta illud *Iſaiæ* 35. in ſuperioribus expenſum *datus eſt ei* (ſcilicet Deiparæ) *decor Carmeli*, aptiſſimè etiam dici poteſt ſubnigrum illud ſpatium Ordinem denotare ſub dulciſſimæ Virginis clientela vigentem. Si tamen (vt alijs arridet) alba illa, & ſubnigra ſtemmatum ſpatia Ordinis habitum, qui albo pallio, & tunica, ac Scapulari griſeis, ſeu pullis componitur, ſubindicant, ex hoc pariter Virginea protectio almæ Deiparentis erga hunc Carmeli Cœtum demonſtratur. Eiuſdem namque coloris, albi ſcilicet, & ſubnigri, pulli, aut griſei fuiſſe veſtes, et indumenta Reginæ Angelorum, dum cum hominibus in terris conuerſata fuit,

fuit, plures & graues Auctores ſcriptis cōmendant: quatenus dicunt natiui coloris ea fuiſſe. Pro quo Baronius *tom.1. Annal. ad ann. Chriſti* 48. Franciſcus Arias *lib. de Imit. Virg. cap.3.* Paulinus Bergomenſis *in Vita Beatæ Mariæ*; Auguſtinus Tolentinas *in priuileg. Ordinis ſancti Auguſtini*; Georgius Maigrecius Tornatenſis *in lib. Inſtitut. Sodalium Corrigiatorum c.27.* Ferreolus Locrius *in Maria Auguſta lib.5. ca.25.* hos omnes referens, & ſequens. Quibus iunge Leonem à ſancto Ioanne *in Typo, ſeu pictura veſtis Religioſæ pag.* 218. Ioannem Carthagenam *tom.2. homil. lib.8. homil.4.* Ioannem delas Roelas *in lib. de externa Virginis pulchritudine*, Marcum Antonium Caſſanate *in Paradiſo Carmelitici decoris ſtat.2. ætat.2. cap.1.* Qui cuncti à Nicephoro Calixto antiquo, & graui auctore ex Epiphanio loquente *lib.2. cap.23.* & hæc dicente, acceperunt: *Veſtimenta quæ ipſa geſtauit, coloris natiui contenta, id quod etiam nunc ſanctum capitis eius velamen oſtendit.* Natiuos porrò colores album, & ſubnigrum, aut pullum eſſe, eo quòd pecorum ex velleribus ſine aliqua arte deſumpti ſint, omnibus pro comperto eſt. Accedit quod pullus, ſeu ſubniger ſummè modeſtus ſit, & Virginali pudicitiæ maximè congruens, ac in vſu Virginum, & Chriſtianorum antiquis temporibus, vt Annales noſtri oſtendunt. Candidus verò candidiſſimum, & puriſſimum Virginis animum non ne indicaret? Vnde eiuſdem vela candida fuiſſe ex eo, quod Atrebati ſeruatur, elicit Ferreolus Locrius *ſupra c.28.* Hinc plures eiuſdem Imagines album pallium præſeferentes in Eccleſia conſpicuę ſunt: in Meſſana præſertim eidem ſingulariter dicata Vrbe, quas refert Placidus Samperus Ieſuita *in Iconologia Glorioſ. Virg. lib.2. cap.13.* Conſpicua etiam eſt in omnium oculis alia eiuſdem Dei parentis Imago fuſca, ſeu ſubnigra veſte interius; candida verò, ſeu alba exterius induta, in Sacroſancta Lateranenſi Eccleſia Vrbis, & Orbis Sacrario venerabili, in medio Templi, loco illo ſacerrimo vbi duæ illæ gemmæ pretioſiſſimę mundi, capita videlicet Archiapoſtolorum Petri, & Pauli reſeruantur; ea ex parte, quæ reſpicit Chorum Canonicorum. Præterea Stellam il-

lam

Digitized by Google

lam in medio quadri, ſeu ſpatij ſubnigri, imo duas illas, quæ in ſpatijs candidis ſtemmatum apparent, eam indicare, quæ *Stella matutina*, *& Maris Stella* dicitur, quis ambiget? Eo etiam quod in eiuſdem Deiparæ Carmeli titulatæ Iconibus ea præcipuè, quæ celeberrimam illam Neapolitanæ vrbis, & Domus gloriam repræſentat, Stellam in humero dextro depingi omnibus in confeſſo eſt. Demum duodecim Stellarum coronam noſtris ſtemmatibus ſuper poſitam eandem quoque Angelorum Reginam præmonſtare, quæ Apocalypſ. 12. dicitur *Mulier amicta ſole, luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim*, vt millies ex Patribus, Doctoribus, alijſque diuini verbi Concionatoribus audiuimus. Ex quibus vnus Bernardus *in ſerm. de B. Virg.* per has duodecim Stellas accipit duodecim prærogatiuas gratiarum, quibus præ cęteris coronatur: *Nam primò*, inquit, *ſingularis fulgor refulget in Maria generatione. Secundò, in Angelica ſalutatione. Tertiò, in Spiritus ſuperuentione. Quartò, in Filij Dei inenarrabili conceptione. Quintò, quod virginitatis ſit primiceria. Sextò, quòd ſine corruptione fœcunda. Septimò, quòd ſine grauamine grauida. Octauò, quòd ſine dolore puerpera. Nona, eſt manſuetudo pudoris. Decima, deuotio humilitatis. Vndecima, magnanimitas credulitatis. Duodecima, martyrium cordis.* Hinc apud plures ex noſtris, vt *cap.* 11. dicemus, ea deuotio inoleuit, vt Roſarium ſibi faciant, alijſque communicent, ex duodecim globulis, ad quos duodecim Angelicas ſalutationes recitant, quod coronam Beatæ Virginis Stellarum duodecim appellant. Habeat ergo ex his omnibus lector Carmelitarum ſtemmata, ſeu arma Virgineam Matrem, Virgineumque Patrocinium, ſeu Patronatum illorum, haud ſubobſcurè præmonſtrare.

19 Conijciat id etiam, ſi placet, ex eo quod ſigillum Generalis Capituli, iuxta Decretum Capituli Venetiarum anno 1524. ſcutum ſit *cum Imagine Beatæ Virginis ſedentis in throno, & habentis Saluatorem in ſinu à ſiniſtris.* Inſuper quod circa idem tempus Nicolaus Audeth Cyprius Genera-

neralis Magiſter Ordinis in Conſtitutionibus per Clem. VII. approbatis *cap.*2. §.41. non tam præcipiat, quàm ſupponat quòd in omnibus Eccleſijs noſtris eſſe debeat Altare glorioſiſſimæ Dei Genitricis; *Cuius titulo* (vt ibi dicitur) *ſpecialiter inſignimur, & in cuius honorem primi, & ante alios omnes antiqui Patres noſtri in Carmeli vertice templum erexere, & hyperduliam cultum, honoremque debitum eidem exhibuere.*

An Ius Patronatus Virgineum ex intitulatione Ordinis Eccleſiarum, & Confraternitatum comprobetur: *Cap. X.*

1 SÆPIVS iuxta *c.*2. indicata, Ius Patronatus alicuius ex titulo elicitur. Marianum ergo Patronatum in Carmeli Sodalitium ex titulo aucupemur.

2 Et ſanè, cum iuxta dicta in ſuperioribus *cap.* 5. Ordo iſte *Beatiſſimæ Virginis Mariæ* titulo decoretur, vt quid id erit, quia ipſius ſingulari Patrocinio lætatur, vt eo loco dictum. Hinc Eccleſia in ſolemni Commemoratione eiuſdem pro die 16. Iulij poſtquam dixerat: *Quamobrem Fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmelo paſſim ab omnibus appellari cœperunt*, et poſtea: *Nec verò nomenclaturam tantùm magnificentiſſima Virgo tribuit, & tutelam*, Subiungitur: *Ordinem ſibi tam acceptum multis prærógatiuis Beatiſſima Virgo inſigniuit.* En lector, Carmeliticum Ordinem *ſibi* (id eſt Dei Parenti) *tam acceptum* dici, & quod ipſum *multis prærogatiuis inſigniuit*: quia videlicet alumni ipſius *Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo* appellãtur. Merito ergo hunc Almificæ Virginis Patronatum ex hoc honorificentiſſimo titulo aucupamur.

3 Id etiam elici poteſt ex eo, quod plurimæ Carmelitici Ordinis Eccleſiæ (maior ſcilicet, vel maxima ipſarum pars) titulo eiuſdem Dei Geintricis decorentur. Hinc diſtichon

Digitized by Google

ſtichon illud ab Arnoldo Boſtio *de Patronat. Virg. cap.* 13. & à Carmeli Cœtu proclamatum:

Elegi Sedem Chriſti Genitricis in Æde,
Subueniat famulis quo pia Virgo ſuis.

Hoc autem ad rem pertinere comperiet lector, ſi recolat ea; quæ *c.*3. retulimus ex celebri illo Abbate Ioachimo *in Comment. in Apocalypſ.* circa illa *c.*3. *Et Angelo Philadelphia Eccleſia ſcribe*, videlicet: *Eccleſia contēplantium deſignata in Maria Matre Domini ab ipſa glorioſa Virgine inchoata eſt. Vnde & nonnulli Monachorum in omnibus Cœnobijs ſuis eius ſacrum vocabulum generaliter aſſumpſiſſe noſcuntur, vt ſe ad illam Eccleſiam pertinere demonſtrent, quam ipſa Mater Dei ſacra Virgo deſignat*. Ex eis namque inferet harum Aedium Virgineum titulum ſpeciale aliquid Marianæ protectionis indicium præſeferre. Quia verò id maximè compertum in celebrioribus aliquibus, in quibus veluti Dei Genitricis Caſtris ſuæ plenipotentiæ ſigna miraculoſa ſæpius oſtendit, aliquot recenſendæ.

4 Prima, & verè prima, eſt Nazarethana Aedes eiuſdem Dei Genitricis ſacerrimum domicilium, altiſſimi Incarnationis Myſterij theatrum, Spiritus ſancti thalamus, & immenſarum gratiarum, quæ in ipſa fiunt, theſaurus inexhauſtus. Hanc enim pretioſiſſimam domum Carmelitarum ſub cura fuiſſe, dum in Syria manebat, & dum poſtea Lauretum Angelorum miniſterio translata fuit, quæ diximus *cap.*4. rem certam faciunt. Extorres autem etſi ſimus ab hac ſacerrima poſſeſſione, ius antiquum non amiſimus; quin ſperamus eiuſdem prædulciſſimæ Matris pietate, ac Sedis Apoſtolicæ benignitate quandoque in noſtra redituros. Eo etiam quòd *Poſſeſſor olim & hodie poſſeſſor præſumitur*, vt habetur ex *l. poſſidetis C. de probat. cap. cum Eccleſia Sutrina de Cauſ. poſſeſſ. & propriet. cap. olim in* 3. *de reſtit. Spoliat.* Baldus *Conſ.* 52. *lib.*5. Natt. *Conſ.* 406. Et alij. Et *cauſa poſſidendi eſt quid diuerſum ab ipſa poſſeſſione.* Prout etiam habetur ex *l.* 3. *§. ex pluribus ff. de adquir. poſſeſſ.* & Rota in *Alexandrina Archipresbyteratus* coram Merlino 28. Iunij 1627.

5 Idem, & eadem ratione dicimus de antiquiſſima illa

illa, primaque Capella, ſeu Aedicula Matri Verbi diuini in Carmelo ſacrata, de qua eodem *cap*.4. dictum, & cuius poſſeſſione ob barbaricam tyrannidem à multis retro annis ſpoliati fuimus. Nec enim propterea ius noſtrum amiſimus, vt ſi quandoque pijſſimus Deus Chriſtianitati commiſeratus eam Regionem ipſi reſtituat, nos quoque in primum, & originarium domicilium redire concedat, vti iniuſtè expoliatos. Iniuſtè etenim ſpoliatus is dicitur, qui ſemel iuſtè poſſedit, *l*.1.*§*.*deijcitur*, *ff. de vi*, *& vi arm. cap. fin*.3. *quæſt*.3. Bald. *in c. cum Eccleſia Sutrina*, *col*.4. *de cauſ. poſſeß. & prop.* Alexand *Conſ*.152. *In cauſa*, *num*.2. *verſ. ſecundò probatur, lib*.6.

6 Inter eas autem ſacræ Virginis Carmeliticæ conſecratas Aedes, & poſt Lauretanam ſacerrimam domum in Italia locum præcipuum tenet Neapolitana domus totius illius inclytæ, ac toto Orbe celeberrimæ Ciuitatis deuotiſſimum ſacrarium, deuotionis refugium, & pietatis, ac conſolationis emporium. Eſt in ea antiquiſſima Deiparę Imago vulgo *ſancta Maria della Bruna*, Græca arte depicta, & vt communiter creditur ex ijs, quæ à Beato Luca depictæ fuerunt, vna. Traditione etiam tum populi, tum ipſorum Fratrum habetur, ab eis primum Neapolim adductam fuiſſe poſtquam ob Turcarum rabiem è Syria pellebantur (ad annum 1141. rem aliqui referunt) primoque repoſitam in parua æde; poſtea à matre Corradini Imperatoris, ſeu Romanorum Regis dicti cum Neapolim peruenit filium iam infeliciter occiſum conuentura tempore Caroli Andegauenſis Regis, pretioſiſſimè ornatam. Traditur quoque in ea Eccleſia indulgentiam plenariam conceſſam fuiſſe per menſem Auguſti vſque ad feſtum Natiuitatis eiuſdem à Sede Apoſtolica, vt credi par eſt (licet ab Angelo populus credat) prout habet Sixtus Quartus in Bulla *Exhibita ſiquidem* ſub dat. Romæ anno Incarnationis 1475. Hæc ergo ſacra, & Regia Domus, tot mirabilibus euentibus, miraculoſiſue caſibus, inerranabilibuſque gratijs, quæ clementiſſimæ Virginis fauore, ac patrocinio in dies contigere, decorata

eſt,

eſt, vt nedum totius Neapolis, ſed & Italiæ quoque Lauretanum poſt Templum celeberrima ſit. Quod ergo Patres de Angelorum Regina dicunt eam *Miraculorum Officinam* dignè compellantes, hoc etiam de eadem auguſtiſſima Virgine, eiuſque miraculoſiſſima Imagine in ea Eccleſia venerata affirmari poteſt. De ipſis eius Cœnobij Tabulæ, faſta, & inſtrumenta, Franciſcus de la Roſa notarius Neapolitanus in ſpeciali opere hac de re edito an. 1585. Benedictus Gononus *in Chronic. ſanctiſſimæ Deiparæ*, & alij teſtimonium perhibent. De hoc etiam Neapolitano Cœnobio Cæſar Eugenius in libro cui titulus *Neapoli ſacra*, & nos, Deo dante, alibi.

7 Poſt hanc Neapolitani Cœnobij ſacerrimam Imaginem eſt etiam alia Drepani in Sicilia celeberrima, pulcherrima omnino, & deuotiſſima, in noſtrorum Carmelitarum Cœnobio; cuius fama ob innumera miracula per totum Regnum diſperſa eſt, & per ſingulos dies ex remotis partibus etiam magnus ad eam populorum fit concurſus; præcipuè verò in feſto Aſſumptionis, quo die aliquãdo numerati fuerunt peregrini ad quatuor millia. Ipſi etiam Turcæ, & Mauri ad prædictum Cœnobium cum deuotione conueniunt, accipienteſque oleum ex lampadibus, quę lucent ante Imaginem, totum corpus deliniunt, & ſic ſæpius curantur ab infirmitatibus ſuis, fiuntque Chriſtiani. Eſt autem Imago hæc, marmorea, tantæ pulchritudinis, vt ab Angelis potius, quàm ab hominibus ſculpta videatur. Vnde aliquando viſitans eam Prorex Siciliæ exclamauit, & dixit: *Qui eam pulchriorem videre voluerit, in Paradiſum pergat.* Referunt ex noſtris aliqui Imaginem illam exiſtentibus in peccato mortali vultum oſtendere iracundum, & terribilem: exiſtentibus verò in ſtatu gratiæ lętum, & iucundum. Quapropter qui eam videre deſiderant, prius peccata ſua confiteri ſolẽt. Referunt etiam fuiſſe illatam ex partibus Orientis per quoſdam Piſanos Equites ſancti Ioannis, ex tempore quo perdita fuit Terra ſancta, & poſtmodum datam ipſis Carmelitis. Nam cum prædicti Equites appli-

cuiſſent ad portum Drepanenſem, nauis ita immobilis ſubſtitit, vt nullis artibus moueri potuerit, volebant enim eam ferre in Patriam. Data igitur Drepanénſibus fuit, & ſucceſſu temporis Drepanenſes eam Carmelitis donarunt. Ita fermè Franciſcus Cheraſcus *in Vit. Henrici Siluij Generalis*, & ex eo Benedictus Gononus Cæleſtinus *in Chronic. SS. Deiparæ anno* 1252. Quibus addendum cum Ioanne Manno Drepanenſi *in deſcrip. huius Imaginis*, quod in veſte Virginis hæc legantur litteris Chaldaicis aureis: *Salutate Dominum, qui magnus eſt, & etiam paruus, iuſtus, & dulcis*. Item hæc: *Credo quòd ſimilis iſti ſit magna Dei mater*. Inferius iſta: *Septingenteſimo trigeſimo tertio die decima quinta Auguſti*. Hæc quoque: *Facta, ſculpta, finita in Endithet Cypri*. In pectore Virginis: *Ecce Ancilla Domini*. Et infra: *Ego ſeruus Dei Presbyter*. Harum porrò litterarum expoſitio ex Græcis, Armenis, & Babylonicis hominibus ad Iconem ſanctiſſimam deuotionis gratia concurrentibus habita eſt. De innumeris porrò miraculis, quæ ad eam facta fuerunt, relati auctores loquuntur. Et de hac ſacra Aede Ferreolus Locrius *in Maria Auguſta lib. 4. cap. 46.*

8 His iungitur Paduanum Cœnobium celebre tum viris, qui in eo ex noſtris commorati ſunt; tum præcipuè ob Deiparæ deuotiſſimam Imaginem, quæ in Eccleſia eius Cœnobij pia reuerentia colitur, miraculis clariſſima. Illo præſertim quod tempore graſſantis peſtis in ea Ciuitate cōtigit, & quod ſic narrat ex Cheraſco *in Vita Henrici Siluij* Benedictus Gononus *in Chronic. ſanctiſſimæ Deiparæ* circa annum 1570. *Beata Virgo apparuit R. Patri Felici Zuccolio Prouinciali Carmelitarum Prouinciæ Venetiarum, qui tunc Paduæ morabatur, nec non etiam Illuſtri viro Aloyſio Georgio prædictæ Ciuitatis Gubernatori, præcipiens quatenus ipſius Imaginem in Eccleſia Carmelitarum transferrent, quæ ſcilicet Imago tunc iacebat in porticu ipſius Gubernatoris, addens, quod ſi præſtarent, tota Ciuitas, totuſque Venetiarum Status, qui grauiſſima peſte affligebatur ſtatim liberarentur. Illi ergo cum deuotione magna, & populi frequentia Imaginem transferentes, ſtatim peſtis ceſſauit, totaque rei geſtę hiſtoria*

ſtoria videtur inſculta in marmore in prædicta Eccleſia, & ex tunc innumera miracula ad illam Imaginem fieri cœperunt. Conſulat de his lector Angelum Portenarium Paduanum eius vrbis hiſtoricum *de felicitate Paduæ lib. 9. cap. 29.* & noſtros Annales.

9 Adeſt & Deiparę Virginis Tranſpontinæ domus (in qua hæc ſcribimus) gloria recenſenda. Propter eiuſdem ſacratiſſimæ Deiparentis Imaginem ibi à populo veneratam. Eam valdè antiquam eſſe, & ex illis quas Carmelitæ noſtri ex Orientis partibus exules ſecum reportarunt, dilucidè habet Octauius Pancirolus *in libro cui titulus Theſori naſcoſti dell'Alma Città di Roma*, dum agit de ſancta Maria Tranſpontina. Ornata porrò eſt circumquaque varijs tabellis votiuis ob ſingulares gratias à Beatiſſima Virgine receptas.

10 Viluordiæ etiam in Belgio, & Pago Putij noſtri Ordinis ſanctimoniales Virgines fruuntur Imagine eiuſdem Deiparæ à Sophia acceptam, & titulo *Virginis de conſolatione* nuncupatam. Cum enim Sophia ad maritum ſuum bellicis negotijs circa Coloniam detentum pergere debuiſſet quo ex deceſſu pauperes mulieres ibi morantes admodum contriſtatæ fuiſſent, eas varijs beneficijs conſolari ſatagens cæleſte hoc donum à pia matre ipſi collatum eiſdem donauit, dicens: *Accipite hanc Imaginem in ſolatium abſentiæ meæ, & omnium veſtrarum miſeriarum, ad quam in omni tribulatione veſtra confugite, & eſtote certæ conſolationem vos ab ea recepturas, ſicut ego ea nunquam fruſtrata fui in quacunque afflictione.* Hinc Virginis *Conſolatricis* nomen Imagini inditum. Quæ in exiguo ſacello repoſita miraculis clarere cœpit. Ita ferè Auguſtinus Vvichmanus *in Brabantia Mariana lib. 3. cap. 74.* Huic operi adiungenda quia Xenodochium hoc, ac Deiparæ Virginis Icone illuſtre tractu temporis ſub anno ſcilicet 1468. ad Carmeli noſtras Virgines felici ſorte deuenit.

11 Quam porrò felici ſorte ſacris his Viluordienſibus Virginibus ſanctiſſimæ Virginis Icon contigerit duplex mirabilis euentus huic operi iure accēſendus mirificè oſtendit.

En primum. Anno Domini 1578. 12. *Februarij ſacrilegi Hæretici, & Iconoclaſtæ, poſt multa in Belgio impietatis argumenta, veniunt ad Monaſterium Sororum Virginis Mariæ de Monte Carmelo in pago ſancti Martini prope Viluordiam ſitum, flammis, & ferro armati, violentam vim Monialibus, & mortem illaturi, ſcalas ſuper muros eleuant, aſcendunt. Sed ecce Beatam Virginem Mariam in forma Monialis, & Sororis, facie, & pallio candidiſſima ſuper muros ambulantem, gladio in manu inueniunt, quæ omnes, qui ſeptem erant milites, in terram ex alto præcipitat. Interea alij alia ex parte portas eruunt, dormitorium aſcendunt, & vſque ad locum, & cubiculum, in quo omnes Sorores præ timore conuenerant, audacter penetrant. Et ecce iterum Beata Virgo Maria ſub eadem forma eis gladium vibrans iter intercludit; quibus gladio minante fugam conſulit, quam citò cupiunt, liberumque in Ciuitatem proximam Monialibus refugium ſine periculo, aut damno permittunt*. Hanc hiſtoriam refert in ſuo *libro hiſtor.* typo dato ſæpius Pater Petrus Blondel Carmelita, & in ſuo *Carmelo Poetico fol.* 632. Pater Philippus Vizquin ex quo hoc diſtichon:

Barbarus aſtantem miles videt ecce Mariam
Quæ Carmeliticos protegit enſe lares, &c.

En alium: *Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo die decima tertia Decembris, impij Hæretici ſtratagemate in vrbem Viluordiam irrepunt in Belgio, domos comburunt, ciues occidunt. Interea Sorores Ordinis Beatæ Virginis de Monte Carmelo totum ignorant, quia Deo vacabant in Oratione mentali matutina, ſed ecce in Monaſterium, dirutis portis conuolant, dormitorium aſcendunt, omnia domus loca, & angulos ſcrutantur, vt Moniales inueniant, ſed fruſtra. Quæ tamen omnes nil ſimile præcauentes orationi in vno loco vacabant; quare impij magis offenſi, ignem, & flammas tectis admouent, & totum Vulcano tradunt, ſed ecce pluuia è Cœlo mirabilis extinguit, & omnem conatum impedit*. Hunc refert idem Petrus Blondel Carmel. *in ſuo lib. Hiſtoriarum*, & ex ipſo idem quoque Philippus Vizquin litteris ad me datis 9. Octobris 1647.

12 Sed cur præ alijs multis non commemoranda eiuſdem

dem Deiparentis Icon, quæ in inclyta, nobiliſſima, & fideliſſima Meſſanæ vrbe, & Monaſterio noſtri Ordinis ibi ſito ſolemniſſimè à deuotiſſimo populo colitur? Allata eò à primis noſtris Carmeli Eremitis fuit, vel ſaltem Normannorum Regum æuo ibi collocata, prout Placidus Samperi Ieſuita *in Iconologia glorioſ. Virgin. Meßan. Protectricis lib. 2. cap. 9.* affert. Qui etiam quòd Gothicis characteribus his ornetur: *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim*. Inſuper quòd in ipſa Chriſti etiam Imago cernatur tribus ſagittis (ſcilicet fame, peſte, & bello) veluti terram transfigere volentis, à Beatiſſima tamen Virgine ſuo pallio filios, & deuotos tegente, præpediti. Item hæc: *Incredibilis eſt Meſſanenſium deuotio erga hanc ſacram Imaginem, & ferijs quartis per annum mirabilis ad ipſam concurſus; qua die magna Ciuium pars ieiunio, vel abſtinentia carnium vacat, Scapulare ſacrum pro clypeo contra aduerſa animæ, & corporis geſtantium. Cuius gratiæ, fauores, & miraculoſi euentus adeo numerum excedunt, vt integro opere digni eſſent; prout ex tabellis, cereis, pretioſis donatiuis, alijſque donis ibi oblatis conſpici datur*. Hæc & alia exterus hic auctor, quæ haud obſcurè Virgineum Patrocinium in celeberrimam illam vrbem indicant, & de quo latius alibi. Sicut de Imagine alia Virginis de Monte Sancto ſub Patrum noſtrorum Primi Inſtituti cura, de qua idem auctor *cap. 25. & 26.*

13 Vel curſim etiam non ſilentio prætereunda Ordinis etiam noſtri Harlemi Batauiæ oppido Eccleſia, ob Beatiſſimæ Virginis Iconem ibi relictam à Mathilde præſtantiſſima Heroina Florentij IV. Hollandiæ, & Zelandiæ Comitis vxore, quæ eam cum alijs duabus acceperat à præfata Sophia Eliſabethæ Ludouici Thuringiæ Langrauij coniugis filia, ac Henrici Secundi Brabantiæ Ducis vxore; quam miraculis, & populorum frequentia claruiſſe non obſcurè declarat Ioannes Gillemans *in ſanctorum Nouali M. S.* & ex eo Ferreolus Locrius *in Maria Auguſta lib. 2. cap. 30.* Harum trium Imaginum hiſtoriam vir eruditione clariſſimus Iuſtus Lipſius *in Virgin. Hallenſi cap. 3.* deſcripſit. A quo id

accepit Bzouius *tom.* 15. *Annal. ſub ann.* 1405. *num.* 12. De quo etiam in noſtris Annalibus. Vbi etiam, quòd etſi hęc Harlemienſis Cœnobij Imago in hęreticorum cum ipſo manus poſtea peruenerit, at, vt fama vulgò fert, perduellium conſortium fugiens Bruxellas miraculosè deuenerit, vbi reuerenter dedicata colitur.

14 De Æde Toloſana, & ſanctæ Virginis Imagine ibi repoſita, præter dicta ſupra *cap.* 5. habet noſter Caſſanate *in Paradiſo Carmel. Decor. Praambulat.* 36. *n.* 7. hæc *Apud Eliades Toloſates, eſt cernere aliam de qua ex occaſione prodigij ſingularis, inter alia in defenſionem ſuorum Carmelit. à purißima Virgine Maria patrati, vt à diro quodam incendio ſemen eius electum, Carmelitas ſuos Toloſates liberaret, dum in choro ipſi ad veſperas in illud eſſent Pſalmi: Potens in terra erit ſemen eius; generatio rectorum benedicetur. Meminit Guillelmus Benedicti, in ea verba cap. Rainutius de teſtam. & vxorem nomine Adelaſiam. Hacque hucuſque miraculis nota veneratur.* Hæc ille, de quibus in Annalibus.

15 Collectim quoque plura alia Ordinis Cœnobia recenſenda, in quorum Eccleſijs eiuſdem Almæ Virginis Icones miraculis inſignes, ac Patrocinij in eum Ordinem indices celebrantur. Conuentus Vallium in Caſtella veteri à Regibus idcirco priuilegijs donatus. Caſſanate *ſupra.* Complutenſis alia eiuſdem Virginis Matris deuotiſſima Imagine decoratus. Regienſis in Calabria altera quoque effigie clementiſſimæ Dei Genitricis, ad quam plurima geſta miracula referuntur, celebris. Caſſanate *ſupra*. Valentinus in Hiſpania pulcherrima alia Carmeliticæ Virginis effigie vulgo *la Morenica*, & miraculis illuſtri condecoratus. Michael Carranza *in Catechiſmo Religioſorum*, Caſſanate *ſupra*. Qui etiam idem refert de alia reſeruata in Conuentu *Rubielos* Prouinciæ Aragoniæ; & de alia Conuentus Ondenſis Regni Valentini, quæ vulgo dicitur *ſancta Maria Spei*; ac de alijs Conuentus Illerdenſis in Cathalonia, & Callarenſis in Sardinia; ac maximè de alia Conuentus de *la Vidiguera*, ſeu *Reliquiarum* in Luſitania.

Idem

16 Idem quoque Virginei Patronatus Ius in Almum Carmeli Ordinem elicitur ex titulo Confraternitatum, ſeu Sodalitatum ipſius: eodem namque *Dei Genitricis de Monte Carmeli* ſicut Ordo ipſe, & plurimæ ipſius Aedes inſigniuntur: Nec abs re, cum enim ſint veluti membra, & partes acceſſoriç Religionis eadem *Patrona Maria* fruentur. *Acceſſorium* namque *ſequitur naturam principalis*; prout habent *l. etiam C. de Iure dotium*, Regula *Acceſſorium de Regul. Iur. in 6.* & conformiter Iuriſtæ. Cum etiam Religiones ſint mala punica Eccleſiæ, de quibus *Cantic.* 4. dicitur: *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum*, vt exponit Gilbertus, qui continuauit ſermones ſancti Bernardi *ſerm.* 35. & colligitur ex Gregorio Nyſſeno *ibid.* ac malorum punicorum fructus ſint huiuſmodi Sodalitia, quia, vt ait Halgrinus, ſunt *fructus Collegiorum, ſeu Congregationum*, vtique ad eandem *Patronam Mariam* ſpectare debent, cum arbor, & ipſius fructus eiuſdem Patroni ſint. Vnde quæ in præcedentibus adduximus pro Mariano Patronatu in ſuum Carmeli Cœtum conſequenter quoque ad Scapularis Carmelitici Sodales extendi comprobant. Præſertim cum illi veluti adumbrati fuerint in antiquiſſimis Prophetici Ordinis aſſeclis, qui matrimonij legibus ſeruiebant; quales fuerunt plures ex filijs Prophetarum 4. *Reg.* 4. Aſſidæi 1. *Machab.* 2. & 7. & 2. *Machab.* 14. (quos vir doctiſſimus Nicolaus Serarius *in Mineruali lib.* 5. *cap.* 11. ex Scaligero, & Druſio *Confratres* appellat, prout etiam Sodales iſti nuncupatur) & Eſſeni alqui, de quibus Ioſephus. Et quidni dicamus Mariæ Virginis de Monte Carmeli Sodalitia eiuſdem frui Patronatu, quam ex proprio Inſtituto precibus, hymnis, laudibus; ac maximè cæleſti illo, & Angelico Cantico *Aue Maria* creberrimè concelebrant? Quid enim Dei piiſſimæ Matri gratius Angelica hac ſalutatione? Quid iucundius? Ea veluti corona redimiri habeat lector ex Chronic. ſancti Franciſci *par.* 3. *lib.* 1. *cap.* 35. & ex Ricardo de ſancto Laurentio *lib.* 2. *de laudibus Virginis* hæc: *Dicunt qui experti ſunt, & teſtantur ij, qui à viris ſanctis audierunt, vix alium inueniri poſſe modum ſerui-*

tij, qui tantopere Virgini arrideret, vel ex quo tanta deuotio in animam Deiparam ardenter diligentem redundaret. Eius porrò miros effectus vir piiſſimus Thomas de Kempis *in Soliloquio animæ cap.* 23. ſic expreſſit: *Cælum gaudet, ſtupet omnis terra, cùm dico: Aue Maria. Satan fugit, Infernus contremiſcit, cùm dico: Aue Maria. Mundus vileſcit, caro marceſcit, cum dico: Aue Maria. Recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus, cùm dico: Aue Maria.* Inferius quoque hæc: *Hæc eſt oratio parua verbis, alta myſterijs, breuis ſermone, lata virtute, ſuper mel dulcis, & ſuper aurum pretioſa, ore cordis iugiter ruminanda, labijſque puris frequentiſſimè repetenda. Pauciſſimis enim verbis contexitur, & in latiſſimum torrentem cæleſtis ſuauitatis diffunditur.*

17 Miracula porrò, quæ Deus interceſſione Virginis Matris, & intuitu deuotæ recitationis Salutationis Angelicæ *Aue Maria* patrare dignatus eſt, quis dinumeret? Accedant aliqua. Hoc Benedictus Gononus *in Chronic. ſanctiſſimæ Deiparæ ſub ann.* 1293. ſic refert: *In Monaſterio Grandiſiluæ Ord. Ciſterc. Toloſanæ Diœceſis claruit tunc Beatus Ioannes Conuerſus vir deuotus, & ſanctus. Hic cum eſſet Latini ſermonis omnino ignarus, tantum hæc duo vocabula nimirum* Aue Maria *memoriæ mandaſſe fertur, & ea ſingulis diei horulis, atque momentis ad quoslibet greſſus, ſiuè cum diuinis intereſſet laudibus, ſiue cum aliquid quidpiam ageret, ſiue à manuum labore quieſceret, recitando peroraſſe. Vnde eodem anno, quo fatali morte conſumptus eſt, ex eius ore, corpore iam tumulato lilium litteris aureis* Aue Maria *ſparſim decoratum prodit.* Item *ſub ann.* 1152. idem Auctor: *Monialis quædam Ordinis Ciſtercienſis in Cœnobio Virginum, quod Vallis vocatur, à tempore conuerſionis ſuæ ſatis piè, & religioſè, vt hominum iudicio ferebatur, conuerſata eſt. Sed occulto Dei iudicio cœpit mirum in modum ab impudico dæmone vexari, qui ſingulis ferè noctibus ei in forma viri apparens, & lectum ipſius aſcendens, renitentem, clamantem, & diuorum auxilium implorantem, opprimebat; eique turpiter vim inferebat. Res deploranda omnibus innotuit. Miſerta illius Aſcelina, iuſſit ei, vt quando dæmonem*

nem

nē videret, ſe ſigno Crucis muniret, & Aue Maria clara voce dire iuſſit. Paret illa, & ecce cùm poſt Completorium iret cubitum, adeſt Princeps tenebrarum, quem vt vidit, alta voce verba illa Angelica protulit; & ſtatim quaſi ſagitta acuta transfixus dæmon, tremebundus aufugit, nec vnquam de cætero comparuit, vel illam moleſtare, ſicut ſolebat, auſus eſt. Mittimus ex eodem auctore, quòd, vt refert *ſub ann.*1215. ex Menologio Ciſtercienſi, quidam Euſtachius Monachus, qui dum viueret ante altare Virginis Beatiſſimæ tranſiens dicere ſolitus erat *Aue Maria*, poſtea defunctus eadem verba in eius lingua nutu Dei aureis litteris ſcripta oſtēdebat coram Abbate, & Religioſis. Et quod *ſub ann.*1507. ex Victorio *in Vit. ſancti Franciſci de Paula lib.*4. *cap.*13. affert de eodem ſancto Franciſco recitatione *Aue Maria* moribundum ſanante. Sed non omittenda, quæ Honorius Auguſtodunenſis *in Sigillo Mariæ cap.*1. his fermè verbis retulit: *Quidam qui diebus ſingulis ante Virginis altare ſeſe inclinando eam Angelica ſalutatione auere iubebat, in mortis articulo ab illa protectus, deque manibus Dæmonum, qui eum ad barathrum rapturi erant, fuit ereptus. Pia enim Virgo ſubitò aduenìens, inquit* Honorius, *& Capellanum ſuum eſſe profitens, ab impijs iam deſperatum eripuit, & ſic ille vertice tuto per eam euaſit.* Multo minus prætermittendum, vtpote propius ad intentum de Scapularis Carmelitici Sodalibus, quod de vno ipſorum refert Georgius Coluenerius *in Kalendar. ſacratiſſimæ Virginis Mariæ die* 27. *Auguſti §.*2. ex libro, cui titulus eſt *Fons Eliæ*, & S. Inquiſitionis approbatione his verbis: *Anno milleſimo ſexcenteſimo ſecūdo die vigeſima ſeptima Auguſti Bartholomæus Lopez Hiſpanus miles in Caſtro ſancti Ermæ Neapolitano. Hic in excubijs exiſtens recitabat orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ratione habitus, quem gerebat B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Quibus abſolutis, contemplando, Reginæ Cæli eiuſdem preces offerebat. Et ecce poſt aliquot coruſcationes terribile fulmen ex aere decidit, quòd eum in humero vno percuſſit abſq. vlla leſione, ſed ſolummodo Crucis ſignum impreſſit.* Alia in relatis auctoribus, & Hippolyto Marracio *in ſuis Marianis*.

Hinc

18 Hinc meritò non ſolum ingenui, illuſtriſſimi, & excellentiſſimi viri, ſed & Sereniſſimi Principes, ac Dynaſtæ huiuſmodi Sodalitatibus nomen ſuum dederunt, Sodales ſe ipſarum ſub Virginis vexillo profitentes. Et vt antiquiora omittanus de ſancto Ludouico Francorum Rege, Eduardo Anglorum, Henrico Lancaſtriæ Duce, Comite Notumbriæ, & alijs à noſtris, & exteris hiſtoricis notatis, quòd ſub Carmelitarum Sodalitio, & Scapulari viuere voluerint à tempore, quo ſacro hoc ſtemmate ſuum Ordinem, & prædeuotum Beatum Simonem Stochum pijſſima Virgo cohoneſtare voluit, de quibus in Annalibus noſtris plura; recentiora non prætermittenda. Et primò de Gregorio Decimoquarto Summo Pontifice, quòd in Virginis ſanctiſſimæ honorem eius Scapulare geſtauerit refert Petrus Lucius *in Compend. hiſtor.* Idem aſſerendum de Philippo Secundo Catholico, & prudentiſimo Hiſpaniarum Monarcha, quem in libro, in quo Confratres Sodalitatis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli Matritenſis Cœnobij deſcribuntur, deſcriptum etiam vidi, cum alijs (ni fallor) Regiæ prolis Proceribus. Inſigne etiam pietatis, & deuotionis exemplum quoad hoc habemus in Ferdinando Secundo felicis recordationis Imperatore; de quo Guillelmus Lamormaynus eius Confeſſarius *in lib. de eius Virtutibus cap.* 8. hæc habet: *Nulla eſt in vtraque Auſtria, nulla in Hungaria, Bohemiaque Regnis, nulla in Styria, Carinthia, Carniola Beatiſſimæ Virginis pia Sodalitas, in cuius album nomen ſuum non retulerit; imò in cuius album eius exẽplo Auguſta Coniux, Rex, Regina, ac liberi cæteri ſua quoque nomina non inſcripſerint. Nihil magis optabat Cæſar pijſſimus quam vt vbique inter Mariæ ſeruos numeraretur.* Cuius rei extant aliqua monimenta, quæ refert Laurentius Chryſogonus *in Mundo Mariano par.* 1. *diſcurſ.* 18. *num.* 38. *&* 39. In quadam enim Congregatione Deiparæ Virginis ſic extat eius inſcriptio: *Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo octauo die ſeptima Nouembris Ferdinandus Hungariæ, Bohemiaque Rex, Archidux Auſtriæ, Sodalis Beatiſſimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ*

ſcri-

ſcripſit, ſub cuius Patrocinium ſe ſemper commendat. Et in alia ſic: *Anno 1624. Ferdinandus Secundus Confrater Sodalitatis Beatæ Mariæ Virginis ſub cuius præſidium ſe quam deuotiſſimè commendat*. In altera verò de anno 1634. ſic nomen & inſcriptionem dedit Imperator: *Corona legitimè certantibus. Ferdinandus*. Auguſta ſic: *Erit vnica mihi. Eleonora*. Eius autem filius Ferdinandus III. hodiè Imperans, paternæque pietatis heres ſic: *Pietate, & iuſtitia. Ferdinandus*. Auguſta hoc modo: *In charitate, fide, & ſpe erit fortitudo mea. Maria*. Ex liberis Leopoldus hæc: *Timore Domini. Leopoldus Vvilhelmus*. Tum duæ ſorores Duciſſa Bauariæ, & Regina Poloniæ: *Fiat Dei voluntas. Maria Anna. Diligo Deum. Cæcilia Renata*. Refert quoque Petrus Lucius *in Compend. hiſtor. Carmelit.* ex teſtimonio Reuerendiſſ. Generalis Ioannis Baptiſtæ Rubei Luſitaniæ Regnum tempore vltimi Regis Sebaſtiani viſitationis gratia luſtrantis, quod Regem ipſum, alioſque Proceres Scapulari Carmeliticæ Sodalitatis ornatos acceperit. Res tamen iure memoranda, quam ex Ioanne Pinto de Victoria *in Hierarchia Carmelit. tract. 5. c. 4.* refert Petrus Saracenus *in Informat. Spirit. pro deuotis ſanctiſſimæ Virginis Carmelit. p. 7. p. 267.* de Philippo Tertio Catholico Hiſpaniarum Rege, quod cum ad ipſum aliqui recurriſſent dicentes obſeruantiam de abſtinentia à carnibus pro feria quarta à Carmelitici Scapularis geſtatoribus pluſquam trecentorum millium annuorum ſcutorum iacturam Regio Aerario afferre compertum eſſe, vt propterea Regis prouidentia dignum eſſet huic damno aditum præcludere, pius Rex reſcripſerit: *Mas quiero vaſſallos deuotos de la Virgen, que el aumento de mis rentas*. Ora obſtruens æmulis, & piam deuotionem indigitans. Hinc iam meritò perpendat lector, quantum ſummi iſti Dynaſtæ Virginis Matris deuotionem, quæ in eius Sodalitatibus propagatur, venerati fuerint.

An

An Marianus Patronatus in Religionem Carmeli ex ſpecialibus obſequijs, & ſeruitijs illi exhibitis fulciatur. Cap. XI.

1 EX ijs quæ diximus *cap.2.* habetur qualiter ex obſequijs Patrono exhibitis inferatur Ius Patronatus; eo quod talis obſequiorum exhibitio debita Patrono ſit, ac proinde quòd quando exhibentur, à poſteriori demonſtrent tale Ius in eo cui offeruntur. Marianus ergo Patronatus Carmeli Concionem hoc etiam ex capite fulciendus. Quia tamen celebris, & pius auctor Arnoldus Boſtius in libro, quem hac de eadem re, Patronatu ſcilicet Deiparæ Virginis in Carmelitas ſcripſit, *cap.*13 ſimile quęſitum mouit, videlicet: *Qualiter Fratrum Carmelitarum Cœtus peculiarior Mariæ familiæ Patronæ ſuæ tam præcellenti ſummo quodam honore, ac reuerentia fraternitatis amorem oſtendat*; ideo aliqua, quæ ad dubij ſolutionem reſpondit nos hoc loco afferemus, inſtar textus; alia quoque gloſſæ inſtar adiungentes, vel in gratiam auctoris vetuſtate, doctrina, & pietate inſignis.

2 Sic igitur primò Boſtius: *Videndum poſtremò reſtat quomodo Carmelitæ Fratres ſplendidiſſimæ Cæli Reginæ Mariæ (quos de omnibus gentibus in populum ſibi peculiarem elegit ſub protectionis ſuæ ſecuritate, ſub vmbra alarum ſuarum ſingulariter aßumpſit, quæ & præſerena Fratrum amatrix quotidiè, quinimo momentis ſingulis multum orat pro populo ſuo, quem quaſi inter vbera ſuſpendit, & diuino lacte educauit) tantæ ſorori, matri tam præcellenti, Patronæ quoque tam ſublimiſſimæ potentiæ, dulciſſimæ pietatis, pleniſſimæ munificentiæ, & ſaluberrimæ fructuoſitatis, ſummo quodam honore, atque reuerentia fraternitatis amorem oſtendant.* In quibus ſolum moderandum; imo exceſſui deuotionis huius auctoris tribuendum, quòd Angelorum, & vniuerſi mundi Reginam audeat

Car-

Carmeli Sororem nuncupare ; eò ſanè innixus, quòd Carmelitæ ipſi *Fratres* dicātur eiuſdem prǽexcellentiſſimæ Matris, Frater enim, & Soror relatione ſe reſpiciunt. Abſtinendum tamen à ſimili allocutione, & non niſi ſublimibus titulis præcelſiſſima Dei Parens interpellanda à ſuis Carmelitis.

3 Deinde adiungit: *Et vt omittam peculiares cultus, atq. deuotiones, quas multi die, noctuque offerre non deſinunt diuiniſſimæ Matri cunctipotenti, quam ſuauiſſimè amant, reuerentiſſimè venerantur, deuotiſſimè laudant, ſummè magnificant, & admiranter extollunt; quæ in corde, & in ore ſuorum, vt dignum eſt, potiorem ſibi locum vendicat: dumtaxat ea tangere animo ſedet, quæ tota Carmeli turma Diuæ Mariæ beneficijs obſtrictiſſima, & vt propriè dicam, Cæli Reginæ liberta, communiter exhibet, tam efficaciſſimæ Patrocinatrici in medio populi ſui; ſemperque iure eam laudare noſcunt, qui ei immortales agere, & habere debent gratias, quandoquidem referre beneficia beneficijs nulla ſit ipſi relicta poteſtas. Et quia, teſte S. Papa Gregorio, vnuſquiſq. titulum quendam portat operis, quo facile dignoſcitur ſub cuius poteſtate ſit Rectoris, præter id quod omnes Eccleſiæ Carmelitarum Cœtus communiter in honore glorioſiſſimæ Mariæ conſtructæ, & reuerendo nomini eius attitulatæ ſunt: vnde lætanter ſimul dicit tota Carmeli concio:*

Elegi ſedem Chriſti Genitricis in ædem
Subueniat famulis quo pia Virgo ſuis.

In his porrò duo tangit Boſtius ad intentum. Alterum de peculiaribus deuotionibus Ordinis noſtri Fratrum erga prǽdulciſſimam Matrem, & Patronam Mariam; de quo in ſequentibus copioſius dicetur. Alterum, de attitulatione Eccleſiarum ſub eiuſdem Auguſtiſſimo nomine; de quo capite præcedenti aliqua dicta manent.

4 Pergit præterea dicens: *Præter id etiam quòd in omnibus earum angulis ſignum, nomen, & imago tantæ Patronæ ſicut in incolarum altius pectore habetur exarata. Et præter quotidianas eius commemorationes; decies ei quotidiè flectentes genua cordis, & corporis reciprocamus dulce illud canticum, ac nobiliſſi-*

liſſimum melos ſpirituali dulcedine multa refertum, antiphonam illam prædeuotam, ſibi vtique gratiſſimam Salue Regina miſericordiæ. *Quæ fæcunda ſenſu, & profunda myſterijs, ſuauitatis vbertate mentem impinguat. Franciſcus de Retza, & Michael Franciſci Doctores celebres, qui in honore Matris Virgineæ ſuper ea multa, magnopereque denſa ſcripſere volumina, huic rei aſtipulantur abundè, & ſimiliter Albericus Monachus trium Fontium, qui in Chronicis ſuis apertè teſtatur ſanctiſſimum Abbatem Bernardum Clareuallenſem, dum quadam die veniſſet apud Diuionem, & hoſpitatus de nocte fuiſſet in Abbatia ſancti Benigni, quam ſemper dilexit, eo quod mater eius ibi ſepulta eſſet, audiuiſſe ante horologium circa Altare ab Angelis dulciſſimam hanc Antiphonam, videlicet* Salue Regina, &c. *dulci modulatione decantari; primoque credidiſſe, quod Conuentus eam decantaſſet: Quare dixit Abbati die ſequenti: Optimè decantaſtis hac nocte Antiphonam de Podio. Dicebatur autem Antiphona de Podio, eo quod Dominus Aymarus Epiſcopus Podienſis eam fecit. Et inuentum eſt, quod illa hora quando Antiphona audita eſt, Conuentus adhuc dormiret. Et ex tunc cum frequenter S. Abbas Antiphonam illam memoriæ reduceret, audiuit etiam eam, vt vulgatum eſt, circa Altare B. Virginis in Claraualle decantari à Spiritibus beatis. Qua ex re in quodam Capitulo Generali Ciſtercienſi veniam ſuam fecit, humillimè petens quatenus hæc Antiphona à toto Ordine reciperetur, quod & factum eſt. Hæc Albericus.*

5 Tangit etiam hoc loco Boſtius duo alia ſpecialioris deuotionis Carmelitarum ſigna erga munificentiſſimam Matrem. Alterum nempe de Imaginibus, ſignis, & nomine Mariæ paſſim in Eccleſijs, & Aedibus ipſorum exaratis; alterum verò de Antiphona illa celeberrima in Eccleſia *Salue Regina* ab ipſis quotidie decies repetita. Et ſanè, quod ad primum ſpectat, vulgatiſſimum illud eſt, vt nedum, vt dictum manet, innumeræ Ordinis Eccleſiæ eidem veluti Patronæ attitulatæ ſint; ſed & in ipſis eorum Aedibus, Cœnobijs, Clauſtris, Dormitorijs, Cameris, Hortis, angulis etiam, ſalutationibus, confabulationibus, eiuſdem Imagines, Icones, effigies, nomina, emblemata, & Hierogly-

roglyphica paſſim celebrentur. Et quid melius? Siquidem, vt ſapiens ille Idiota nuncupatus *in Prologo Contemplat. B. V.* dixit: *Inuenta Maria inuenitur omne bonum.* Et Richardus à ſancto Laurentio *lib. 1. de laudibus B.V. c. 2.* dum inquit: *Maria nomen longe melius, quam diuitiæ corporales, quia melius anguſtiam releuat paupertatis, & dolori peccatorum melius medetur quam vnguenta.*

6 Quod de Antiphona *Salue Regina* dicit *decies quotidiè* à noſtris reciprocari, ideo veritatem continet, quia ſepties in fine ſeptem Canonicarum horarum (iuxta decretum Capituli Generalis Barchinonēſis de anno milleſimo trigēteſimo vigeſimo quarto, prout refert Palæonydorus *lib. 3. c. 11.*) prope finem etiam Miſſæ cuiuslibet Sacerdotis, iuxta dicenda inferius; Miſſæ Conuentualis à toto Choro; ac in actione gratiarum poſt prandium cum in Choro dicuntur, repetitur. Etiam cum genuflexione, vt ait Boſtius, exceptis Dominicis, in quibus ſtando dicitur ob memoriam Reſurrectionis Saluatoris. Quod inquit hanc Antiphonam ab Aymaro Podienſi Epiſcopo compoſitam fuiſſe, ſub opinione Scriptorum eſt. Etenim Durandus *lib. 4. Rat. diuin. Offic. cap. 22.* auctorem eius facit Petrum Epiſcopum Compoſtellanum. Sic, et Iacobus de Voragine *in legenda Sanctorum cap. 176. vel 177.* In Cæſario *lib. 7. Miraculor. cap. 30.* refertur compoſita à quodam Ordinis Ciſtercienſis. Sanctus Antoninus *par. 4. Sum. Theol. tit. 15. cap. 14. §. 7.* vocat Antiphonam, quam dicitur compoſuiſſe Ioannes Damaſcenus. Aegidius Aureæ Vallis Monachus *in geſtis Pontificum Leodienſium cap. 135.* ſancto Bernardo tribuit. Hæreticus autem Polonus Ioannes Laſcius *in ſua Confutatione Theologica Moſcouiticæ ad cap. 13.* à Gregorio Nono Papa, cum ingenti iniuria Ieſu Chriſti compoſitam blaſphemat. Communis autem Doctorum conſenſus eſt ab Hermanno Contracto Benedictino editam. Ita enim ſentiunt Philippus Bergomenſis, Trithemius, Nauclerus, Coſterus, Vvion, Genebrardus, Bozius, Bzouius, & plures alij, quos affert Coluenerius *in Kalendario ſacratiſſimæ Virginis in princip. cap. 14.* &

noſter

liſſimum melos ſpirituali dulcedine multa refertum, antiphonam illam prædeuotam, ſibi vtique gratiſſimam Salue Regina miſericordiæ. *Quæ fœcunda ſenſu, & profunda myſterijs, ſuauitatis vbertate mentem impinguat. Franciſcus de Retza, & Michael Franciſci Doctores celebres, qui in honore Matris Virgineæ ſuper ea multa, magnopereque denſa ſcripſere volumina, huic rei aſtipulantur abundè, & ſimiliter Albericus Monachus trium Fontium, qui in Chronicis ſuis apertè teſtatur ſanctiſſimum Abbatem Bernardum Clareuallenſem, dum quadam die veniſſet apud Diuionem, & hoſpitatus de nocte fuiſſet in Abbatia ſancti Benigni, quam ſemper dilexit, eo quod mater eius ibi ſepulta eſſet, audiuiſſe ante horologium circa Altare ab Angelis dulciſſimam hanc Antiphonam, videlicet* Salue Regina, &c. *dulci modulatione decantari; primoque credidiſſe, quod Conuentus eam decantaſſet: Quare dixit Abbati die ſequenti: Optimè decantaſtis hac nocte Antiphonam de Podio. Dicebatur autem Antiphona de Podio, eo quod Dominus Aymarus Epiſcopus Podienſis eam fecit. Et inuentum eſt, quod illa hora quando Antiphona audita eſt, Conuentus adhuc dormiret. Et ex tunc cum frequenter S. Abbas Antiphonam illam memoriæ reduceret, audiuit etiam eam, vt vulgatum eſt, circa Altare B. Virginis in Claraualle decantari à Spiritibus beatis. Qua ex re in quodam Capitulo Generali Ciſtercienſi veniam ſuam fecit, humillimè petens quatenus hæc Antiphona à toto Ordine reciperetur, quod & factum eſt. Hæc Albericus.*

5 Tangit etiam hoc loco Boſtius duo alia ſpecialioris deuotionis Carmelitarum ſigna erga munificentiſſimam Matrem. Alterum nempe de Imaginibus, ſignis, & nomine Mariæ paſſim in Eccleſijs, & Aedibus ipſorum exaratis; alterum verò de Antiphona illa celeberrima in Eccleſia *Salue Regina* ab ipſis quotidie decies repetita. Et ſanè, quod ad primum ſpectat, vulgatiſſimum illud eſt, vt nedum, vt dictum manet, innumeræ Ordinis Eccleſiæ eidem veluti Patronæ attitulatæ ſint; ſed & in ipſis eorum Aedibus, Cœnobijs, Clauſtris, Dormitorijs, Cameris, Hortis, angulis etiam, ſalutationibus, confabulationibus, eiuſdem Imagines, Icones, effigies, nomina, emblemata, & Hieroglyphi-

roglyphica paſſim celebrentur. Et quid melius? Siquidem, vt ſapiens ille Idiota nuncupatus *in Prologo Contemplat. B. V.* dixit: *Inuenta Maria inuenitur omne bonum.* Et Richardus à ſancto Laurentio *lib. 1. de laudibus B. V. c. 2.* dum inquit: *Maria nomen longe melius, quam diuitiæ corporales, quia melius anguſtiam releuat paupertatis, & dolori peccatorum melius medetur quam vnguenta.*

6 Quod de Antiphona *Salue Regina* dicit *decies quotidiè* à noſtris reciprocari, ideo veritatem continet, quia ſepties in fine ſeptem Canonicarum horarum (iuxta decretum Capituli Generalis Barchinonēſis de anno milleſimo trigēteſimo vigeſimo quarto, prout refert Palæonydorus *lib. 3. c. 11.*) prope finem etiam Miſſæ cuiuslibet Sacerdotis, iuxta dicenda inferius; Miſſæ Conuentualis à toto Choro; ac in actione gratiarum poſt prandium cum in Choro dicuntur, repetitur. Etiam cum genuflexione, vt ait Boſtius, exceptis Dominicis, in quibus ſtando dicitur ob memoriam Reſurrectionis Saluatoris. Quod inquit hanc Antiphonam ab Aymaro Podienſi Epiſcopo compoſitam fuiſſe, ſub opinione Scriptorum eſt. Etenim Durandus *lib. 4. Rat. diuin. Offic. cap. 22.* auctorem eius facit Petrum Epiſcopum Compoſtellanum. Sic, et Iacobus de Voragine *in legenda Sanctorum cap. 176. vel 177.* In Cæſario *lib. 7. Miraculor. cap. 30.* refertur compoſita à quodam Ordinis Ciſtercienſis. Sanctus Antoninus *par. 4. Sum. Theol. tit. 15. cap. 14. §. 7.* vocat Antiphonam, quam dicitur compoſuiſſe Ioannes Damaſcenus. Aegidius Aureæ Vallis Monachus *in geſtis Pontificum Leodienſium cap. 135.* ſancto Bernardo tribuit. Hæreticus autem Polonus Ioannes Laſcius *in ſua Confutatione Theologica Moſcouiticæ ad cap. 13.* à Gregorio Nono Papa, cum ingenti iniuria Ieſu Chriſti compoſitam blaſphemat. Communis autem Doctorum conſenſus eſt ab Hermanno Contracto Benedictino editam. Ita enim ſentiunt Philippus Bergomenſis, Trithemius, Nauclerus, Coſterus, Vvion, Genebrardus, Bozius, Bzouius, & plures alij, quos affert Colucnerius *in Kalendario ſacratiſſimæ Virginis in princip. cap. 14.* & noſter

noſterPetrus Saracenus infra citandus. Quod verò ob huius Reginæ Cæleſtis Antiphonæ reciprocationem tam crebam meritò collaudentur Carmelitæ, innumera confirmant miracula, quæ ad eius recitationem patrata referuntur. Hæc videre eſt in Cæſario *lib.7.c.*30. in Cantipratano *c.* 29. *par.*28. lib.1. Reuelationum S. Mechtildis *cap.*48. in ſancto Antonino *par.*3. *Chronic. tit.*23. *cap.*3. in Speculo Exemplorum *diſt.*7. *exempl.*42.43. & 44. ex Fratre Gerardo de Francheto Lemouicenſi *in vit. Fratr. Prædicatorum.* Quorum primum repetit Alexius de Salo Capuccinus *in lib. de methodo admirabili amandi, & honorandi Beatam Virginem priuileg.*4. in Georgio Maigretio *lib. Gallicè edito de Sodalitate Corrigiatorum Beatæ Mariæ cap.*36. in quo ſeptem miracula recenſentur. Quatuor inſuper de hoc Cãtico refert Antonius Daueroulrius *in Catechiſmo Hiſtoriali tom.*1. *cap.*2. *tit.*46. Legatur Nauarrus *in Manual. de Orat. & horis Canon. cap.* 19. *num.* 183. vbi inquit, famam eſſe eam Antiphonam Sabbatis ſolitam ab Angelis cantari, Petrus Rudolphus *lib.*1. *Hiſtor. Seraphicæ Religionis in cap. De liberatis à periculo partus,* Coluenerius *ſupra c.*15. & maximè noſter Petrus Thomas Saracenus *in Menolog. Carmelitarum in notis de feſtis reſumendis*, vbi agit de Origine, augmento, commemoratione, defenſione, miraculis, indulgentijs, & quotidiana Carmelitici Ordinis recitatione huius Cantici.

7 Præcipuè verò notat *ibidem* temporibus Beati Gerardi Carmelitæ Epiſcopi Canadienſis hoc Canticum in Ordinem introductum fuiſſe, circa annum ſcilicet 1042. Item quod in Capitulo Generali Barcinonenſi de anno 1324. ordinatum fuit, vt in fine omnium horarum diceretur. Præterea quòd ex traditione Patrum Conuentus ſancti Martini maioris Bononienſis Carmelitarum habeatur, quod cum *Salue Regina* à Fratribus caneretur, illis dicentibus: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*, adfuerit Beatiſsima Virgo illis dicens: *Pſallite deuotè filioli, vobis enim Ieſum filium meum, & in præſenti, & in futuro ſeculo oſtendam*, ac illis Puerum, quem vlnis geſtabat, videndum

tra-

tradiderit. Similem caſum refert ex Siluano Razzio Camadulenſi, & ex Gerardo Fracheto Ordinis Prædicatorum, loquente de Fratribus Prædicatoribus Maſſiliæ.

8 Proſequitur idem Boſtius: *Noníes quotidie peculiares Orationes etiam fundimus pro omnibus, qui in tantę Matris patrocinijs confidunt*. Proculdubio propter Orationem illam, quæ poſt *Salue Regina* communiter adiungitur, & in qua dicitur: *Beatæ Mariæ ſemper Virginis Patrocinijs confidentes à cunctis hoſtibus redde ſecuros*. Nec inutilis deprecatio, ſiquidem, prout idem Auctor ex D. Auguſtino inferius habet: *Michael Dux, & Princeps militiæ cæleſtis cum omnibus ſpiritibus adminiſtrationis tuis paret (Virgo) præceptis in defendendis in corpore, & ſucipiendis de corpore animabus fidelium, ſpecialiter tibi, ò Domina, die ac nocte ſe commendantium*.

9 Adijcit præterea: *Miſſam etiam ſolemnem de ea quotidie celebramus*. Quod dicere potuit, nedum propter Miſſas Beatæ Virginis, eiuſque feſtiuitatum, quæ vel ex conſuetudine Religionis, vel ex promiſſione fidelibus facta quotidie ferme in aliquibus, grauioribus prȩſertim, Ordinis Cœnobijs, canuntur (prout in Matritenſi contingit, in quo non vnam, ſed tres, aut plures ſæpius decantari vidi) ſed etiam quia, iuxta Conſtitutiones Ordinis, vbi ſunt quatuor ſaltem Nouitij, quotidie ab ipſis Miſſa de Beata Virgine decantari debet. Sic enim 1. *p. Conſtit. c.* 14. *num.* 6. dicitur: *In quolibet Conuentu, in quo ſunt quatuor ſaltem Nouitij, quotidie ab ipſis Miſſa de Beata Virgine cantetur, eorum Magiſtro aſſiſtente*.

10 Addit vlterius: *Solemnem quoque eius Commemorationem cum pleno officio qualibet hebdomada peragimus. Feſta inſuper ipſius omnia, etiam Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, & Viſitationis eius ſolemnia cum plenis Octauis præ cęteris obſeruantius congruis officijs proſequentes. Feſtum denique gaudioſæ ſuæ Præſentationis, & illud quod peculiari Niuis miraculo Virgo niue longè candidior in Vrbe Roma Martyrum multitudine copioſè purpurea ſibi delegit habitaculum, colimus præfeſtiuè, attendentes quod prædignum, quinimò, & prædebitum eſt, eos ſingulariori dilectione,*

Digitized by Google

reminiſcentia frequentiori, ſpecialiorique veneratione ſanctam Sanctorum, matrem quoque ſanctorum omnium, colendum Cœli Reginam proſequi, qui ſacro ſuo Patronatui ſe præ cęteris gaudent aſcribi, qui ſanctiſſimi nominis ſui titulo ſingulariter honorantur, & peculialiter inſigniuntur, qui ab antiquo tam frequentibus virtutis ſuæ præſidijs copioſiſſimè ſunt adiuti. Cauſam porrò Inſtitutionis ſolemnis Commemorationis eiuſdem Deiparæ aſſignauimus ſupra *cap.* 5. *num.* 8. eam videlicet, quòd ipſius auſpicijs ab æmulis Ordinis euerſionem tentantibus tempore Honorij Tertij præſeruatus eſt. Annunciationis autem Octaua iam in Ordine prætermiſſa eſt, ne Quadrageſimale Officium impediat. Omnium quoque prædictarum feſtiuitatum peruigilia ieiunio Ordinis iuxta Conſtitution. *p.* 1. *c.* 4. *§.* 1. celebrantur.

11 Ad hæc ſubiungit Boſtius: *Et quoniam certum habemus ſuperoptimam Dei Matrem ſingulariter velle etiam, ſanctæ, ac Beatiſſimæ Matri ſuæ ſeruiri; velut ſolent marium tranſuectores, ſicut maris Stellam inuocare Mariam, vt curſum dirigat; ita Mariæ Genitricem precibus, & muneribus rogitare, vt currere queant, cum ſuccedentium ventorum ſpiramina itineris commeatum negant; ſic & poſt ſuperamandam, & glorificandiſſimam Mariam ſanctiſſimam eius Genitricem deuotius, feruentius, frequentius, honoramus, colimus, & diligimus familiarius, & venerationis obſequelam impendentes, vt ſpiritalis ſucceſſus progreſſus ad patriam per hoc mare magnum, & procelloſum cuncta pericula celeri opitulatione nobis amoueat, gratiæque ventum impetret ſibi deuotis. Commemorationem nempe communiter bis in diem facimus de præelecta Matre iubiloſæ Mariæ, & auia Dei altiſſimi, ſancta Anna, nuptarum ſanctiſſima, omnipotenti Domino multa dignatione beneplacita, pro filiæ ſuę reuerentia inter omnes mulieres ſuperbeatificanda; in qua nominis ſui redundante gratia (Anna ſiquidem gratia interpretatur) accelerata ſunt diuini, & antiqui conſilij ſacra myſteria. Quæ & in Ciuitate Sephora non longè à mellifluo Monte Carmeli oriunda, complures haud dubium deuotione præcipua Carmelicolas viſitauit; præſertim, cum, teſte Cyrillo Alexandrino, mater eius Emerentia eum locum mira ſemper affectione dilexerit, & Carmeli*

meli accolis vna cum Virgine Emerentia Annæ Matre futura Deum orantibus, reuelatus fuerit eius ortus, & qualiter ab eademum prægloriſicanda Maria decus, gaudium, & ſpes Carmelitanæ militiæ virtutum auctrix, & inuentrix gratiæ mirabiliter naſceretur. Feſtum quoque tantæ matronæ omnimoda ſemper laude ritè colendæ celebriter ſolemnizamus. Sanctum inſuper Ioſeph Virginem integerrimum, æterni Dei tutorem, nutritium, œconomum, & vicepatrem diligentiſſimum, Sponſum Mariæ prædilectum, Virginitatiſque ſuæ teſtem, & cuſtodem fideliſſimum ad ſimilitudinem Sponſæ ſuæ Virgineæ pro omnium ſalute ſolicitiſſimum, & omnimoda virtute perfectum. Et ſanctas Mariam Iacobi, & Mariam Salome prædectas Domini Ieſu materteras, cariſſimaſque noſtræ Mariæ Sorores, quarum laus in in eius præconium ſingulariter redundat, affectione deuota proſequimur, feſta earum ſolemniore cultu celebrantes. In quibus hoc ſingulariter notandum, quod licet iam fere per totam Eccleſiam feſta ſanctæ Annæ, & Ioachim, celebrentur; Annæ quidem à tempore Gregorij Decimitertij, qui illud Romano Breuiario inſeruit; Ioachimi à tempore Gregorij XV. qui id etiam inſtituit; nihilominus à multis retro annis Carmelitana Religio Deiparæ ſtrictiſſimè addicta eorum feſta celebrare conſueuit. Atque inter ſuffragia conſueta, ſeu Commemorationes communes in Veſperis, & Laudibus pro feſtis non duplicibus erat ſuffragium, ſeu Commemoratio ſanctæ Annæ, prout ex Boſtio elicitur, & annotat Saracenus infra referendus. Vtinam pia hæc deuotio ab Ordine reſumeretur, quod mihi deſiderabilius, qui in Conuẽtu *Alberca* dicto S. Annæ attitulato Religioni nomẽ dedi an. 1600. Imo Sodalitas in Ordine in honorem eorundem Ioachimi, & Annæ, totiuſque Virginis Mariæ Parentelæ à Rumoldo de Laupach Priore Conuentus Franchfordienſis erecta, & ab Innocentio Octauo priuilegijs confirmata fuit, vt refert Palæonydorus *lib. 3. cap. 14.* Qui etiam *ibid cap. 11.* refert, quod in Capitulo Generali Lugdunenſi anni 1342. *Fuit ſtatutum, & approbatum Officium Sororum Virginis Mariæ in die Vrbani celebrandum.* De qua

feſtiuitate, & hiſtoria, quæ in ea ſupponitur latè cùm alijs Georgius Coluenerius *in Kalendario Beatiſſ. Virg. die* 25. *Maij*. Et de ipſa, & alijs relatis Petrus Saracenus *in Menolog. Carmelitar. in not. de feſtis reſumendis*.

12 Præterea relatus Boſtius, vt obſequia ab Ordine noſtro Deiparæ humiliter oblata recenſeat aliquos ex ipſius alumnis enumerat, qui ipſam pro poſſe ſuis ſcriptis propugnarunt. Vnde ſubdit: *Et inter complures Petrus Thomaſius Chriſti crucifer imperioſus, fortis, ac ſplendida veritatis columna multorum graduum dignitate ſublimis, honores quoſque meritis, & virtute ſuperans, hæreticorum hoſtis acerrimus:*

Qui geminas in ſe cupiens reparare Sorores
Martha miniſtrando, mente Maria fuit.

Libro prænobili, quem Domino Ioanni Infanti Regis Aragoniæ dicauit. Franciſcus Martini diſputator acutiſſimus libro latiſſimo quem cunctis Mariæ zeloſis Fratribus deſtinauit, & Michael Angrianus Bononienſis Bononienſis vniuerſæ peritiæ ſacrarum, Doctorumque decus eo libro quem Cardinali ſanctæ Mariæ Transtyberim attitulauit, ſingulis penè clamant ſyllabis: Tota pulchra, tota formoſa eſt Maria amica Spiritus almi, Verbi diuini Genitrix, æterni Patris comparentalis, eundem cum eo Filium habens, & macula originalis non eſt in ea. Quot verò pugiles, & Marianæ ſanctitatis puriſſimæ propugnatores, cæleſtiumque Chariſmatum ipſi à Deo conceſſorum acclamatores, innumeros ferè, Ordo Carmeliticus ediderit, præter numeratos à Boſtio, curioſus lector ex Hippolyto Marracio nupero, & perdocto Scriptore in libro, cui titulus *Bibliotheca Mariana* habere poterit.

13 Maximę tamen ponderationis eſt ad intentum, quod ſanctus Cyrillus Alexandrinus Antiſtes ex noſtri Prophetici, & Monaſtici Ordinis alumnis, imo ex Carmeli incolis vnus, prout Annales noſtri oſtendunt, eiuſdem Deiparę dignitatem principaliſſimam, veluti infinitam, & omnium prærogatiuarum ipſius quaſi epilogum, Dei videlicet maternitatem, contra Neſtorium, & ſequaces in tertia Synodo Generali Epheſi clariſſima vrbe, quòd

ca-

Digitized by Google

eadem Auguſtiſſima Mater, cum chariſſimo Ioanne diſcipulo in ipſa habitare, vt traditur, dignata ſit, celebrata, nomine Cæleſtini Papæ Primi acerrimè propugnauit, ſapientiſſimè defendit, & Catholiciſſimè vt fidei dogma definiuit. Adeo vt ex tunc poſt recitata huius Concilij Acta additamentum illud accepiſſe credatur Salutatio Angelica, ſolemnius ſaltem, & ex decreto: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.* Legantur de hoc Annaliſtarum vertex Baronius *ſub ann.* 431. Georgius Coluenerius *in Kalendar. ſacratiſſ. Virg. die* 22. *Iunij*, Benedictus Gononus *in Chronic. ſanctiſſimæ Deiparæ ann. Chriſti* 431. Hiſtorici, & Annales noſtri.

14 Ijs verò Carmelitarum obſequijs, quibus ſuam Auguſtiſſimam Patronam venerantur iure accenſeri debet, quòd in ipſis Miſſarum ſolemnijs (exceptis Miſſis de *Requiem*) Antiphonam illam celeberrimam *Salue Regina* quotidie genuflexo (Dominicis ſtando) ante vltimum Miſſæ Euangelium, ex peruetuſto more, & Sedis Apoſtolicæ nutu, adiunctis verſu *Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix*, reſponſorio *Vt digni, &c.* & oratione *Protege Domine, &c.* eam vt Reginam, Matrem, & Aduocatam interpellando dicant. Notat hoc pro ſingulariſſimo verſus tantam Patronam à noſtris exhibitum quotidianum penſum Ferreolus Locrius *in Maria Auguſta lib.* 3. *cap.* 17. Et ſanè Marianæ militiæ, ſeu potius ſeruitutis ſpecialiſſimæ hæc conſuetudo toſsera eſt, quam nunquam, Deo dante, prætermittent.

15 Quia etiam Antiphona *Regina Cæli* celeberrima in Eccleſia habetur, & ab Angelis compoſita, & decantata, quo tempore in Vrbe magna graſſabatur peſtis ſub D. Gregorio Papa, qui illi adiunxit illud *Ora pro nobis Deum*, vt innumeri proteſtantur Auctores, ſpecialiter Durand. *in Rational. diuin. Officior. lib.* 6. *cap.* 89. *num.* 3. Theodoricus de Apoldia *lib.* 2. *Vit. S. Dominic. cap.* 8. ſanctus Antoninus 4. *p. Summ. tit.* 15. *c.* 24. *§.* 2. *& in Chronic. p.* 3. *tit.* 23. *c.* 4. *§.* 2. Caniſius *lib.* 5. *de Beata Maria c.* 22. & plures alij apud Locrium

ſupra lib. 1. *cap.* 29. *& lib.* 7. *c.* 7. & Coluenerium *in Kalendario in generalib. Commemorat. cap.* 13. Ideo Dei Genitrici aſtrictiſſima Carmeli familia, ipſiuſque veluti liberta eam loco *Salue Regina* per totum tempus Paſchale (quo ab Angelis, & Diuo Gregorio compoſita, & decantata creditur) horis Canonicis, Miſſarum ſolemnijs, & alijs pijs precibus adiunxit.

16 Ad ſalutationem Angelicam *Aue Maria* poſtliminio reuertentes, tantam erga ipſam Carmeli Cœtus deuotionem oſtentat, vt præter communem Breuiarij Romani, & aliorum vſum, eam in fine omnium Canonicarum horarum repetat. Horis inſuper, ſeu precibus, quæ pro horis Canonicis à Laicis, ſeu Conuerſis dicuntur, eam ſuperaddidit *in Conſtitutionibus p.* 1. *c.* 16. *n.* 3. eſto quod in Regula B. Alberti ſolùm pro eiſdem Oratio *Pater noſter* vicibus replicata ſufficeret. Et hoc propter Virginis Matris Patrocinium, & antiquam Ordinis conſuetudinem, vt notat Petrus Lucius *in Compend. hiſtor. in Annot. ad Bull. Sabbat.* Ad hęc, cum tres illi verſus *Angelus Domini, &c. Ecce Ancilla Domini, &c. Verbum Caro factum eſt, &c.* cum tribus *Aue Maria*, iuxta communem Eccleſiæ praxim ſolum poſt occaſum Solis, & nocte inchoante dicantur, nihilominus, iuxta Cæremoniale Ordinis *lib.* 1. *p.* 2. *Rubr.* 9. *num.* 6. ter in die recitantur genuflexo, etiam Paſchali tempore, exceptis Dominicis; reſpectiuè tamen ad patriæ vſum; ſcilicet in aurora, meridie, & poſt occaſum Solis, ictibus etiam Campanarum; prout deuotiſſimè in hac Almæ Vrbis Eccleſia ſanctæ Mariæ Tranſpontinæ obſeruari teſtor. Cuius eam exiſtimamus cauſam, quòd cum quidam autument cum Pelbarto de Thomeſvvar *in Stellario B. M. lib.* 1. *p.* 6. *art.* 2. *cap.* 2. Annunciationem Angelicam factam fuiſſe ad occaſum ſolis; vel intempeſta nocte cum Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 9. *ſect.* 5. vel cum Athanaſio *in fine Orationis de Deipara*, Alberto Magno *in Mariali cap.* 30. & Maximiliano Sandæo *in lib.* cui titulus *Maria Patrona Orat.* 3. ſummo mane; noſtri in Deiparam propenſiſſimè deuoti tribus his diei punctis ab opinio-

opinionibus abſtrahentes, & conformiter ad illud Pſalm. 54. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudies vocem meam*; mutata tamen intempeſta nocte in meridiem, eam Angelico hoc Cantico celebrare ſtuduerint. Refertur autem in Cæremonialis loco relato indulgentiam plenariam his precibus à Paulo III. conceſſam fuiſſe. De alijs ad illas ſpectantibus latè Colucnerius *in Kalendario in Generalibus Commemorat. cap.* 3.

17 Sed non prætermittenda ſpecialis plurium ex noſtris deuotio, quam aliqui Petro Ambianenſi vulgo Eremitæ, ſicut & Carmeli accolæ, vt dictum eſt; alij Beato Cyrillo, ſeu Beato Bertholdo eiuſdem Montis Archimandritis tribui ſuſpicantur, de Corona Beatæ Virginis Stellarum duodecim, compoſita vna Oratione Dominica, & duodecim Angelicis, quam *Stellarium* vocant. Eam porrò circa annum 1468. venerabilis Ioannes Soreth Ordinis ſupremus Antiſtes Bruxellis, & per totum Belgium noſtris ita commendauit, vt ab eo tempore maximo pretio fuerit; quia multi roſaria ſua in tali forma per duodecim globulos habent, quos æmulabatur pius, & perdoctus Pater Hieronymus Gratianus à Matre Dei ijs in partibus vita, & morte clariſſimus. Hanc etiam coronam noſtri Fratres Belgæ (vtinam & aliarum nationum) feruidè prædicant, fructuosè promouent; & ad ipſam recitandam Confratres exhortantur. Ex quibus vnus Philippus Viſquin Rethor, & poeta celebris ſic de ipſa metricè.

O virtus, nunquamque prius conceſſa poteſtas,
Claudere ſub paruo volitantia ſydera filo,
Et Stellas ſuperis cum fœnore vendere Cælis:
Geſtantes etenim Diuum Scapulare Sodales
Zodiaco cinctam tibi Virgo Maria, coronam
Mittunt: ſic Stellas Carmelus vendit Olympo.

Inter obſequia ergo ſpecialia à Carmelitis Patronæ clementiſſimæ exhibita iſtud non reticendum. Sicut nec illud, quòd nouiſſimè, ſub anno ſcilicet 1645. prohibita ſit à ſancto Officio Inquiſitionis publica quædam Stellarij reci-

Digitized by Google

tatio, quæ in Vrbe increbuerat ſub titulo cuiuſdam Confraternitatis, & inuocationis Immaculatæ Conceptionis Deiparæ SS. ob abuſus, qui irrepſerant. Quod dixerim ne pijſſimum huius Stellarij vſum à ſimilibus abuſibus alienum, priuatum præſertim, prohibitum quis autumet. Cum commendatiſſimus in Eccleſia ſit, vt propterea Stellarium Coronæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ duodecim libris diſtinctum excuſum videatur Haganoe anno 1498. cum nondum Lutherus venenum ſuæ hæreſeos cœpiſſet in Germania ſpargere; vt notat Poſſeuinus *in Apparatu littera S.* Commendatur etiam Ioannes Bercmanus Societatis Ieſu vir pijſſimus, quod quotidiè hanc coronulam recitaret. Legatur Baling. *in Kalendar. Mar.* 13. *Auguſti* ex vita eius impreſſa Romæ Italicè ann. 1627.

18 Suppetunt alia. *Gloria in Excelſis Deo* dicitur in omnibus Miſſis etiam votiuis Beatæ Virginis, extra Sabbatum quoque celebratis, in Ordine noſtro, ex decreto Capituli Generalis Barcinonenſis anno 1324. habito, prout teſtatur Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 11. Quod adeo firmiter omnibus Religioſis inhæſit, vt, non obſtante quòd in Ordinis Cæremoniali *lib.* 2. *Rubr.* 58. *§.* 2. conformiter ad *cap. Conſilium de celebrat. Miſſar.* oppoſitum præſcriptum poſtea eſſet, nihilominus antiquæ conſuetudini cedere noluerint; vt propterea in Conſtitutionibus de nouo editis ſub anno 1625. *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. dicatur: *Volumus tamen vt in Religione noſtra retineatur antiqua, & laudabilis conſuetudo dicendi in omnibus Miſſis Beatæ Virginis etiam votiuis hymnum Gloria in Excelſis Deo, eſto oppoſitum ſit ordinatum in dicto nouo Cæremoniali.* Pro qua conſuetudine audiui ſtare Paulum Quintum, qui cum Miſſam priuatè diceret de Beata Virgine, & à Cæremoniarum Magiſtro, qui illi inſeruiebat, monitus eſſet, quod in ea non deberet dici *Gloria in Excelſis*, reſpondit, nunquam id fuiſſe ſuæ intentionis. Fortè quoque vſus ipſe Ordinis noſtri ex eo vires accepit, quod in ſacroſancta Lauretana Eccleſia antiqua ipſius poſſeſſione obſeruetur, ſaltem ex priuilegio, vt ex Synodo vltima Lauretana

tit. 1 n.

tit. 11. *num.* 4. affert Gauantus *in Commentar. Rubric. Miſſal. tit.* 8. *§*. 4.

19 Emittunt etiam profeſſionem Carmelitæ, obedientiam, paupertatem, & caſtitatem promittentes non ſolum Deo, ſed & Beatæ Virgini his verbis: *Ego N. facio profeſſionem meam, & promitto obedientiam, paupertatem, & caſtitatem Deo, & Beatæ Mariæ Virgini de Monte Carmeli, &c.* Quo ſe ſpecialiter addictos tantæ Virgini, & ſub eius, ſpeciali Patrocinio viuere confiteantur.

20 Inſuper, præter communes, & ordinarias preces, antiphonas, verſus, cantica, & reſponſoria, quibus vniuerſalis vtitur Eccleſia, in ſupereminentiſſimæ Dei Parentis laudibus præcinendis (inter quæ iure præcipuum locum tenet illud *Alma Redemptoris Mater, &c.* ab Hermanno Contracto, vt plures autumant, editum; & illud *Aue Regina Cælorum, Aue Domina Angelorum, &c.* quod ſecundum Coſmam Veſtitorem apud Pelbartum *in Stellario Coronæ Beatæ Virginis lib.* 10. *p.* 5. *art.* 1. *cap.* 2. ab ipſis Apoſtolis ad funus Deiparæ conuenientibus editum fuit) ſpecialiora quædam habet Carmeli Religio, quibus ſuam Patronam concelebret. Scilicet Antiphonam *Aue Regina Cælorum, Mater Regis Angelorum, O Maria flos Virginum, velut Roſa, vel Lilium, funde preces ad Filium pro ſalute fidelium*: Item, ſpecialiſſimam illam, & à Beato Simone Stoch Antiphonam compoſitam *Aue Stella Matutina, peccatorum medicina,* quam in Officio Sabbatino eiuſdem Virginis, ac in Commemoratione ſolemni eiuſdem pro Antiphona ad *Benedictus* canit. In pluribus quoque Ordinis Cœnobijs (ſed cur non in cunctis?) eiuſdem Almę Virginis Litaniæ, quę in Lauretana Æde dicuntur, coniunctim etiam, recitantur quotidie, iuxta antiquum Ordinis vſum, vt Petrus Saracenus *in Informat. Spiritual pro deuot. ſanctiſſimæ Virginis Carmelit. p.* 5. *fol.* 217. notat. Qui forſan vſus à tempore quo eadem ſancta Lauretana Domus ſub Ordinis ditione erat, inoleuit.

21 Quamuis autem in infinitum ferme progredi eſſet ſpe-

ſpecialia obſequia ab aliquibus ex Carmeli filijs eidem Auguſtiſſimę Patronę oblata, vel mente cenſere, inſigniora tamen quędam pręlibanda, ex quibus haud obſcurè is Marię Patronatus in Eliades comprobetur. Et vt vetuſtiora, quale eſt illud de Cyrillo Alexandrino relatum, miſſa faciamus, poſteriora, quę à viris ſanctitate pręclaris in Ordine geſta ſunt circa tempora Reformationis ipſius poſt Terræ ſanctę recuperationem ſub Vrbano Secundo, & Gotfredo Bullonenſi ſpecialius recenſenda. Inter quæ illud cæteris antiquitate pręſtat, quod modus orandi, ſeu ſalutandi Deiparam ſanctiſſimam per globulos, ſeu calculos, coronam videlicet, Roſarium, vel ſimiles apprecationes Carmeli Eremitis in vſu fuerit à Petro illo celeberrimo Eremita dicto, & Belli ſacri promotore, qui cum eis per aliquod tempus cohabitauit, vt noſtri Annales oſtendent, vel à Beato Bertholdo primo eorum poſt relatam Reformationem Generali inſtructis. Quod quidem de eo Petro Eremita ſic faſſus eſt Auctor, etſi à fide & Religione Apoſtata, de hiſtorica tamen antiquitate benemeritus, Ioannes Balæus Anglus *in Catalogo Scriptor. Britan. Centur.2. in Appendic. ad Florentium Brauonium* his verbis: *Ad quos poſtea ſolitarios* (Carmeli incolas) *infra ſexennium venit famigeratus ille Petrus Eremita, qui preculas illis earum primus inuentor dedit, & Mariæ Pſalterium docuit*. De B. Bertholdo id teſtatur ex Religionis fama Petrus Saracenus *in Menolog. Carmelitarum in Vit. Beati Bertholdi* dicens, quod eos globulos, ſeu calculos *ſuis Coeremitis paſſim præſtabat, vt Virginem glorioſiſſimam ordinatè, & attentè conſalutarent*. Nec per huiuſcemodi veluti priuatum, & Eremiticum vſum, vel leuiter derogatur ſanctiſſimi Dominici Prædicatorum familiæ illuſtriſſimi Patriarchæ, & Beati Alani de Rupe eiuſdem Ordinis gloriæ, qui ſimile Inſtitutum per calculos, ſeu globulos recitandi validiſſimè illuſtrarunt, & Deo illud poſtea innumeris ſequentibus miraculoſis ſignis confirmante, per totum Chriſtianum Orbem clariſſimum fecerunt; vt teſtantur Ioannes Bonifacius *in hiſtor. Virg. lib.2. cap.15.* Ferreolus Lo-

crius

crius *in Maria Auguſta lib.6. cap.28.* Georgius Coluenerius *in Kalendario Sanctiſſ. Virg. pro prima die Octobris*, & Benedictus Gononus *in Chronic. ſanctiſſimæ Deiparæ, præſertim ſub ann.* 1476. & alij apud ipſos. Maximè, cum vſus recitandi *Aue Maria*, ſeu ipſam ſalutãdi per globulos, ſeu calculos antiquiſſimus ſit in Eccleſia nõ ſolũ à tempore dicti Petri Eremitæ, prout credunt Polydorus Virgilius, Arnoldus Vvion, Arnoldus Pontacus, & Pineda apud Coluenerium; ſed vel à temporibus Apoſtolorũ, vt dictus Alanus de Rupe *in Apolog. pro Roſario cap.*8. Hieronymus Taxus, Albertus Caſtellanus, Balthaſar Arias, Ioannes Andreas Coppenſteinius, Iudocus Beyſſelius, & alij, quos citat, ac ſequitur Hippolytus Marracius *in Diſſertatione pro Marianę Coronę calculis*: vel à Patribus Ægyptij Monachis, Eſſeni etiam, ſeu Eliani; Inſtituti (vt noſtri oſtendunt) cultoribus, prout ex Sozomeno *lib 6. hiſtor. cap.* 29. Caſſiodoro *in Tripartita lib.8. cap.*1. Palladio *in Lauſiaca in lib.8. Vit. Patr. c.*23. Heriberto Roſvvedio *ibidem* Hippolytus Marracius ſupra oſtendit.

22 Huic etiam accedit aliud eidem pijſſimæ Patronæ ab eodem Carmeli Anachoretarum eo tempore Duce Bertholdo cum Cœtu exhibitum obſequium, quod Petrus Saracenus *ſupra* ſic refert: *Quoſdam ex noſtris ſæpius audiuimus referentes hunc ſanctum Virum in præruptis Carmeli Montis, ſepties quotidie reclinatum Mediterraneum mare Angelico Aue, Religioſo vſu conſalutare, in illius Nubeculæ memoriam, quam Dux noſter Elias, è marinis fluctibus aſcendentem ſeptima vice conſpexit; futuræ Incarnationis ſacrum prognoſticon. Imò his quoque temporibus, vſu publicè venit, vt vniuerſi Ordinis noſtri Fratres in ſingulis Canonicis horis flexis genibus Canticum illud mellifluum, maximo deuotionis ardore recitare conſueſcant.*

23 Iungendum aliud Ordinis noſtri iubar Deiparæ addictiſſimus ſeruus Beatus Petrus Thomas, de quo in ſuperioribus dictum, & celebris auctor Lucas Vvadinghus Minorita in vita ipſius hæc: *Incredibili erga eam exarſit deuotionis affectu, propoſuitque nullum prętermittere obſequium, quòd in tantæ benefactricis cederet honorem. Scripto peculiari libello eius ab*

ori-

originali peccato indemnitatem conſtanter aſſeruit, & reliqua Virginis priuilegia doctis celebrauit encomijs. Quotieſcunque orabat, laudes miſcebat Mariæ; quæcunque obuia Mariæ ſimulacra reuerenter ſalutabat; locuturus, nomen præmittebat Mariæ; antequam menſæ accumberet Mariana promebat elogia, & cibum putabat inſipidum, ſi ſacræ Virginis non condiretur memoria. In laboribus, in anguſtijs ad ſacram hanc aram conuolabat, inſidijſque inimici hac arte occurrebat, vt ſingulis ictibus clypeum opponeret nominis Mariæ, cuius præſens ſemper ſentiebat auxilium. Ingens hic pietatis ardor ita transmutauit affectum, mentemque poſſedit, vt nihil aliud ſapere, nihil affari, nihilque videretur audire. Ex abundantia cordis os loquebatur: viſum quippe eſt eius cordi inſculptum ſacratiſſimum nomen Mariæ, non aliter quam Martyris Ignatij præcordijs diuina Ieſu vox apparuit impreſſa. En egregium Cælique, terræque Imperatricis Sacellanum.

24. Alia ſub compendio ſic ex hiſtorijs Sanctorum Ordinis deprompta. Sanctus Andreas Corſinus dum primum habitu Virginis indutus eſt, tota illa hebdomada in pane, & aqua ieiunans, & ſuper nudum aſſerem quieſcens eidem Deiparæ grates fundebat. Nunius Aluarus Pereira maximus Portugalliæ Achilles, Dux ſtrenuiſſimus, ac Comeſtabilis celeberrimus, plurima Cœnobia eidem Sacratiſſimæ Matri vir ipſi deuotiſſimus erexit, Algibirrotæ ſcilicet, Villæuitioſæ, Souſel, & Vlyſſipone, cui etiam ſe ſub habitu Conuerſorum, ſeu Semifratrum (vt vocant) ſe dicauit, in ipſiuſque Capella Miſſas de Beata Virgine crebrius celebrandas inſtituit. Beata Ioanna de Reggio virgo ſanctimonialis Ordinis noſtri adeo ſingulariter deuota in Deiparam Virginem fuit, vt eo in genere vix alia inſignior legatur. Audiat lector, quæ Benedictus Gononus Cæleſtinus Monachus *in Chronic. SS. Deiparæ ſub anno* 1428. ex Benedicto Mutto auctore Vitæ ipſius Ioannæ ſcripſerit. *Ipſo anno, nempe* 1428. *nata eſt Beata Ioanna virgo Ordinis Carmelitarum, quæ quando aliquid à Deo volebat obtinere, quindecies mille ſalutationes Angelicas, & poſt quemlibet centenarium, recitabat Salue*

Regi-

Digitized by Google

Regina. *Deinde etiam ſepties hymnum Aue Maris Stella, vel O glorioſa glorioſa Domina, recitabat, appellabatque hoc ſpirituale exercitium Camiſiam B. Virginis. In vigilijs ſolemnitatum Beatę Mariæ de ſero millies ſalutationem Angelicam recitare ſolebat; & in die feſto ſepties eius Officium perſoluebat. Singulis diebus Sabbati ieiunabat in pane, & aqua. Confeſſarius ſciens auſteritatem vitæ eius, timenſque ne deficeret, præcepit ei in vigilia Annuntiationis in virtute ſanctæ obedientiæ, quatenus ſemel tantum ſalutationem Angelicam recitaret. Quod & fecit, ſed cum tanta deuotione, & attentione, vt per totam noctem in raptu, & ecſtaſi permanſiſſet.* Beata virgo Magdalena de Pazzi Florentiæ, & Religionis noſtræ pretioſiſſima gemma, Virginis Deiparę deuotioni addictiſſima, eam Dominam, *Patronam*, & Matrem amabiliſſimam appellabat; Roſarij recitationi, *Salue Regina* cantui, & alijs precibus ipſius ſeduliſſimè aſſiſtebat; & eius feſtiuitates vt deuotius celebraret, per dies aliquot pijs exercitijs pręueniebat; ac de ipſa prorſus mirabilia in ſuis ecſtaticis raptibus, eo præſertim, qui in Vigilia Aſſumptionis eiuſdem ann. 1593. ei contigit, dictitabat.

29 Porrò de ijs quæ milites Ordinis ſub titulo S. Mariæ de Monte Carmelo à Paulo V. Inſtituti in obſequium communis Parentis, & Patronæ efficiunt duo eiuſdem Pontificis Diplomata *cap. ſequenti* afferenda demonſtrant. Neque enim ſolum caſtitatem coniugalem; & obedientiam ſuo Generali Magiſtro ſub Imagine, & Vexillo eiuſdem Dei Genitricis, quam cum Cruce fului, ſeu impluuiati coloris in pallijs geſtant, ex voto obſeruant; ſed & quotidie Officium Beatę Mariæ, ſeu Coronam recitant; Sabbati diebus Miſſam audiunt; feria quarta à carnibus abſtinent; ac in omnibus eiuſdem glorioſiſſimæ Virginis feſtiuitatibus, ea maximè, quæ Commemoratio ſolemnis eiuſdem dicitur, & 16. Iulij celebratur, ſacra Synaxi poſt peccatorum confeſſionem reficiuntur.

De

Digitized by Google

De alijs Priuilegijs huius Patronatus, & conditionibus requiſitis, vt Fratres, & Confratres Ordinis ipſis frui poſſent. *Cap. XII.*

1 NON ſolum Fratres, ac Sodales Carmelitici Cœtus, ac Inſtituti ſingulariſſimis illis, eximijſque priuilegijs à Virgine munificentiſſima illis conceſſis, de quibus in præcedentibus, maximè *cap.5.* actum, fruuntur; ſed & pluribus quoque alijs, quæ ſummi Eccleſiæ Paſtores eiuſdem Virginis intuitu, & deuotione illis elargiti fuerunt. Sunt ij namque Eccleſiæ Apices eiuſdem Almæ Parentis obſequioſiſſimi Primicerij, conſecratiſſimi Adminiſtri, ac deuotiſſimi Sacellani, prout Templa, Aſceteria, Xenodochia, Capellæ, feſtiuitates, & Sodalitia in ipſius honorem ab illis excitata, & conſecrata clamant (de quo Locrius *in Maria Auguſta lib.1. cap.29.* & Hippolytus Marracius *in Pontificibus Marianis* perdoctè) ac proinde eiuſdem clementiſſimæ Virginis pietati accinentes, quæ ipſi placere vident, promouere ſtudent. Proinde ſuo Carmeli Sodalitio gratias, & priuilegia pleraque conceſſerunt.

2 Hinc Gregorius Decimuſtertius in Bulla *Vt laudes* anno 1577. edita retulit, & confirmauit indulgentias eidem Confraternitati conceſſas ab Hadriano Secundo, Stephano Quinto (ſeu Sexto) Sergio Tertio, Ioanne Decimo, & Vndecimo, Sergio Quarto, & Innocentio Quarto. Maximè ipſe Innocentius Quartus, qui anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio Pontificatum aſcendit, Confratriam dictam ingredientibus tertiam partem ſuorum peccatorum in Domino relaxauit, vt refertur à Gregorio Decimotertio in prædicta Bulla, & Sixto Quarto in Bulla *Dum attenta* anno 1477. Quia tamen Paulus Quintus anno 1606. (vt infra videbitur) omnes indulgentias Confra-

trum

trum antiquas caſſauit, nouis alijs adiunctis, & conceſſis, ideo hæc remiſſio peccatorum, quę verè indulgentia eſt, prout conceſſa ab his Summis Pontificibus, non ſubſiſtit hoc tempore. Maiorem tamen indulgentiam idem Paulus conceſſit, videlicet plenariam, ingredientibus prædictam Confraternitatem, vt ex dicendis conſtabit.

3 Deinde Vrbanus Quartus, qui ſub anno 1261. Pontifex factus eſt, anno Primo ſui Pontificatus magnam Fratribus, & Confratribus noſtris conceſſionem fecit, videlicet quod Sacerdotes Ordinis noſtri poſſent Confratrum noſtrorum ad ſe recurrentium Confeſſiones audire, de ſuorum (ideſt ipſorum Confratrum) Prælatorum licentia, niſi ea forte talia commiſiſſent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda. Huic autem conceſſioni (inquit Caſarubius *in Compend. Priuileg. Mendic. verbo abſolutio quoad ſeculares* 1.) non reperitur ſimilis in Priuilegijs Mendicantium. Ea enim conceditur, vt ſine vlla approbatione Ordinarij poſſint Fratres noſtri ſecularium confeſſiones audire, & à caſibus etiam Epiſcopalibus abſoluere. Sed quoad primum derogatum eſt per Concilium Tridētinum *Seſſ.*23. *cap.*15. Quoad ſecundum verò propter decreta SS. Congregationum, quæ referimus in noſtra Summa Quæſtionum Regularium *cap.*19. *num.*17. & propter Bullam Clem. VIII. *Quacunque à Sede* ann. 1604. editam, de qua infra.

4 Poſtea Ioannes XXII. in Bulla *Sacratiſſimo*, quam Alexander Quintus confirmauit, indulgentiam conceſſit Confratribus hanc Sodalitatem ingredientibus remiſſionis tertiæ partis ſuorum peccatorum. Hæc tamen etiam hoc tempore ceſſat propter reuocationem, vt diximus Pauli V. & commutationem in maiorem, ſcilicet plenariam, ab ipſo factam.

5 Maximè verò Clemens VII. anno 1530. in Bulla *Ex clementi*, quæ extat in Bullario communi Laertij Cherubini *tom.* 1. inter Bullas huius Pontificis *num.* 31. plures gratias, & indulgentias Confratribus noſtris conceſſit. Primò etenim ſingulare illud priuilegium de adiutorio à Bea-

Digitized by Google

Beatiſſ. Virgine præſtando animabus Fratrum, & Confratrum poſt eorum mortem approbauit, & innouauit. Id autem priuilegium his verbis à Pontifice in Bulla relatis continetur. *Sanè pro parte dilectorum Filiorum Nicolai Audeth Generalis, ac Prouincialium, & Priorum domorum Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, necnon Confratrum vtriuſque ſexus Confraternitatum in Eccleſijs domorum eiuſdem Ordinis inſtitutarum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Ioannes Vigeſimusſecundus, & Alexand. V. Roman. Pontif. Prædeceſſores noſtri vniuerſis, & ſingulis Christi fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, ſeu Confratrum Confraternitatum huiuſmodi numero adſcribi, ipſiuſque Ordinis ſtatuta obſeruare, ac habitum dicti Ordinis deferre, ſeque Fratres, & Sorores dicti Ordinis appellare, ita quod ſi mulier virgo caſtitatem, vidua verò continentiam, coniugata tamen matrimonij iura, prout ſancta Eccleſia præcipit, tempore earum ingreſſus inuiolabiliter ſeruare velle promitterent, & obſeruarent, tertiam partem ſuorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac ipſa glorioſiſſima Dei Genitrix ſemper Virgo Maria, ipſorum Confratrum, ſeu Religioſorum, ac Sororum animas poſt eorum tranſitum, ſuis interceſſionibus continuijs, pijs ſuffragijs, & ſpeciali protectione adiuuabit. Quodque Fratres ipſi gratiarum earundem prædeceſſorum participes fieri volentes, horas Canonicas, iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini conceſſam, & ordinatam recitare, ignari vero litterarum, diebus, quibus ſancta Eccleſia ieiunare præcipit, ieiunare, necnon quarta feria, & Sabbato toto tempore vitę eorum, præterquàm die qua aliquarum ex ferijs prædictis Natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti occurrere contigerit, à carnibus abſtinere deberent.* Hæc ibi.

6 Inferius etiam ampliſſima hæc priuilegia eiſdem Confratribus conceſſit. *Omnibuſque & ſingulis vtriuſque ſexus Confratribus, & cuilibet eorum, aliquem Presbyterum idoneum ſecularem, vel cuiuſuis Ordinis etiam Mendicantium, & de obſeruantia regularem, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui, vita eis comite, eos, & eorum quemlibet à quibuſuis etiam maioris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſen-*

ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa pro tempore latis. & quibuſuis etiam pro tempore irretiti fuerint, etiam ſi illorum abſolutio Sedi prædictæ ſpecialiter, vel generaliter (præterquam per litteras in Cœna Domini legi ſolitas) reſeruata foret, ac quorumcunque votorum, & iuramentorum, necnon Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſionibus, periuriorum, ſimoniç, & homicidij mentalis, vel caſualis reatibus, manuum violentarum in quaſuis perſonas Eccleſiaſticas, non tamen Epiſcopos, vel eorum Superiores, de præterito iniectionibus, ieiuniorum, horarum Canonicarum, diuinorum Officiorum, ac pœnitentiarum iniunctarum, in toto, vel in parte omiſſionibus, omnibuſque alijs eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quamtumcunq. grauibus & enormibus, etiam talibus propter quæ Sedes prædicta merito conſulenda foret, in caſibus dictæ Sedi qualitercunque reſeruatis (exceptis contentis in dictis litteris Cœnç Domini) ſemel in vita, & in mortis articulo, de alijs verò dictæ Sedi non reſeruatis caſibus totiens quotiens opportunum fuerit, eorum Confeſſionibus diligenter auditis abſoluere, illiſque pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungere. Vota verò viſitationis quęcunq. vltra marina (Liminum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Vrbe, ac ſancti Iacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & caſtitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, & iuramenta quęcunque, ſine tertij præiudicio relaxare, ac omnium eorum peccatorum ſemel in vita, & in mortis articulo, vt præfertur, etiamſi tunc non ſubſequatur, plenariam remiſſionem, & abſolutionem, auctoritate Apoſtolica impendere poſſit. Liceatque omnibus, & ſingulis, vtriuſque ſexus Confratribus prædictis, & cuilibet eorum habere Altare portatile, cum debitis reuerentia, & honore, ſuper quo in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, etiam non ſacris, & quauis etiam Apoſtolica auctoritate interdictis, ſeu tempore ceſſationis à diuinis, dummodo cauſam non dederint huiuſmodi interdicto, ſeu ceſſationi, & per eos non ſtet quominus pareatur Apoſtolico interdicto, etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, ſeu circa meridiem, cùm qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, in eorum præſentia clauſis ianuis, excommunicatis & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, & ſub-

L miſſa

Beatiſſ. Virgine præſtando animabus Fratrum, & Confratrum poſt eorum mortem approbauit, & innouauit. Id autem priuilegium his verbis à Pontifice in Bulla relatis continetur. *Sanè pro parte dilectorum Filiorum Nicolai Audeth Generalis, ac Prouincialium, & Priorum domorum Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, necnon Confratrum vtriuſque ſexus Confraternitatum in Eccleſijs domorum eiuſdem Ordinis inſtitutarum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Ioannes Vigeſimuſſecundus, & Alexand. V. Roman. Pontif. Prædeceſſores noſtri vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, ſeu Confratrum Confraternitatum huiuſmodi numero adſcribi, ipſiuſque Ordinis ſtatuta obſeruare, ac habitum dicti Ordinis deferre, ſeque Fratres, & Sorores dicti Ordinis appellare, ita quod ſi mulier virgo caſtitatem, vidua verò continentiam, coniugata tamen matrimonij iura, prout ſancta Eccleſia præcipit, tempore earum ingreſſus inuiolabiliter ſeruare velle promitterent, & obſeruarent, tertiam partem ſuorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac ipſa glorioſiſſima Dei Genitrix ſemper Virgo Maria, ipſorum Confratrum, ſeu Religioſorum, ac Sororum animas poſt eorum tranſitum, ſuis interceſſionibus continuijs, pijs ſuffragijs, & ſpeciali protectione adiuuabit. Quodque Fratres ipſi gratiarum earundem prædeceſſorum participes fieri volentes, horas Canonicas, iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini conceſſam, & ordinatam recitare, ignari vero litterarum, diebus, quibus ſancta Eccleſia ieiunare præcipit, ieiunare, necnon quarta feria, & Sabbato toto tempore vitæ eorum, præterquam die qua aliquarum ex ferijs prædictis Natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti occurrere contigerit, à carnibus abſtinere deberent.* Hæc ibi.

6 Inferius etiam ampliſſima hæc priuilegia eiſdem Confratribus conceſſit. *Omnibuſque & ſingulis vtriuſque ſexus Confratribus, & cuilibet eorum, aliquem Presbyterum idoneum ſecularem, vel cuiuſuis Ordinis etiam Mendicantium, & de obſeruantia regularem, in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui, vita eis comite, eos, & eorum quemlibet à quibuſuis etiam maioris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſen-*

ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa pro tempore latis. & quibuſuis etiam pro tempore irretiti fuerint, etiam ſi illorum abſolutio Sedi prædictæ ſpecialiter, vel generaliter (præterquam per litteras in Cœna Domini legi ſolitas) reſeruata foret, ac quorumcunque votorum, & iuramentorum, necnon Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſionibus, periuriorum, ſimoniæ, & homicidij mentalis, vel caſualis reatibus, manuum violentarum in quaſuis perſonas Eccleſiaſticas, non tamen Epiſcopos, vel eorum Superiores, de præterito iniectionibus, ieiuniorum, horarum Canonicarum, diuinorum Officiorum, ac pœnitentiarum iniunctarum, in toto, vel in parte omiſſionibus, omnibuſque alijs eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quamtumcunq. grauibus & enormibus, etiam talibus propter quæ Sedes prædicta merito conſulenda foret, in caſibus dictæ Sedi qualitercunque reſeruatis (exceptis contentis in dictis litteris Cœnæ Domini) ſemel in vita, & in mortis articulo, de alijs verò dictæ Sedi non reſeruatis caſibus totiens quotiens opportunum fuerit, eorum Confeſſionibus diligenter auditis abſoluere, illiſque pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungere. Vota verò viſitationis quęcunq. vltra marina (Liminum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Vrbe, ac ſancti Iacobi in Compoſtella, necnon Religionis, & caſtitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, & iuramenta quęcunque, ſine tertij præiudicio relaxare, ac omnium eorum peccatorum ſemel in vita, & in mortis articulo, vt præfertur; etiamſi tunc non ſubſequatur, plenariam remiſſionem, & abſolutionem, auctoritate Apoſtolica impendere poſſit. Liceatque omnibus, & ſingulis, vtriuſque ſexus Confratribus prædictis, & cuilibet eorum habere Altare portatile, cum debitis reuerentia, & honore, ſuper quo in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, etiam non ſacris, & quauis etiam Apoſtolica auctoritate interdictis, ſeu tempore ceßationis à diuinis, dummodo cauſam non dederint huiuſmodi interdicto, ſeu ceßationi, & per eos non ſtet quominus pareatur Apoſtolico interdicto, etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, ſeu circa meridiem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, in eorum præſentia clauſis ianuis, excommunicatis & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, & ſub-

L *miſſa*

miſſa voce Miſſas, & alia diuina Officia per Sacerdotes ſeculares, vel Regulares huiuſmodi celebrare, ac quocunque tempore Euchariſtiam, & alia Sacramenta Eccleſiaſtica, à quocunque maluerint Presbytero idoneo, & vbicunque, ſine Rectoris Parochialis Eccleſiæ præiudicio, recipere; & adminiſtrare, liberè, & licitè valeant. Et ſi contingat eos, vel eorum aliquem, tempore interdicti huiuſmodi ab humanis decedere, corpora eorum Eccleſiaſticæ, cum aliqua, honeſta tamen funerali pompa, tradi poſſint, ſepulturæ. Quodque ſingulis Quadrageſimalibus, & alijs cuiuslibet anni temporibus, & diebus Stationum Baſilicarum, & Eccleſiarum Almæ Vrbis Romæ, & extra illius muros, vnam, vel duas Eccleſias, aut vnum, duo, vel plura Altaria in partibus illis, vbi eos, ſeu eorum aliquem reſidere, ſeu quo declinare contigerit, quas, vel quæ ipſi, vel quilibet eorum duxerint eligendas, vel eligenda deuotè viſitando tot, & ſingulas, ac ſimiles indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequantur, quas conſequerentur, ſi ſingulis diebus eaſdem ſingulas dictæ Vrbis, & extra eam Eccleſias pro Stationibus huiuſmodi deputatas perſonaliter viſitarent. Inſuper etiam omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui pro Monaſteriorum, & domorum reparatione, ac Fratrum huiuſmodi ſuſtentatione manus porrexerint adiutrices, ſupradictas indulgentias conſequi poſſint, & conſequantur. Omnibus verò & ſingulis alijs Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, qui dictum Ordinem, illiuſq. domos, & Monaſteria, Fratres, Sorores, & Moniales huiuſmodi ſuis eleemoſynis, & ſubſidijs pro tempore iuuerint, & manutenuerint, vt ipſi, & quilibet eorum omnium precum, ſuffragiorum, eleemoſynarum, ieiuniorum, orationum, Miſſarum, horarum Canonicarum, diſciplinarum, peregrinationum, & cæterorum ſpiritualium bonorum, quæ pro tempore in vniuerſali ſacroſancta Eccleſia militante fiunt, in perpetuum participes fiant, & omnibus eius meritis gaudeant, ac omnibus alijs, qui gratijs eorundem Confratrum gaudere voluerint aliquam eleemoſynam, ſiue charitatem, prout eis, ac præſidentibus Confraternitatum huiuſmodi viſum fuerit, dando, & largiendo gratiarum huiuſmodi participes fiant, indulgemus.

Cir-

7 Circa quæ notandum aliqua ex iſtis reuocata, ſeu moderata eſſe, alia verò in ſua vi, & robore manere: ideo de ſingulis, & ſigillatim dicendum. Primò enim illud de eligendo Confeſſore, intelligendum eſt, dummodo ille ſit approbatus ab Ordinario iuxta Decretum Concil. Trident. *Seſſ.23.cap.15.* & Bullam Clem. VIII. an.1604. editam, quæ incipit: *Quæcunque à Sede*, & habetur *in 3. tom. Bull.* inter Conſtitut. Clement. VIII. *num.115.* & apud Quarantam *in Summa Bullarij verb. Confraternitates*. Sic notat Reuerendiſſimus Theodorus Stratius *Inſtruct. pro Fratribus Carmelit. cap.5.* Vbi etiam, quod ſi talis Confeſſarius fuerit Regularis debet eſſe approbatus ab Ordinario; & etiam à ſuo Superiori, prout præcipit Clem. VIII. in Bulla *Quæcunque à Sede* iam relata.

8 Similiter quoad Cenſuras, & Caſus reſeruatos à quibus abſolui poſſe à prædicto Confeſſario Confratres concedit hic Pontifex, notanda eſt limitatio, quam ponit Clemens Octauus in Bulla relata, ſcilicet id intelligi debere iuxta formam prædictorum priuilegiorum, *quatenus* (inquit Pontifex) *ſint in vſu, & ſacris Concilij Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtris Conſtitutionibus non aduerſentur*. Pro cuius clauſulæ explanatione videndus eſt Reuerendiſſimus Stratius *ſupra*, de qua etiam nos in noſtra Summa *Quæſt. Regul.tom.2. c.1. num.58. & cap.15.num.17. & 18.*

9 Moderatur etiam Pontifex Clemens Octauus in Bulla relata dicta priuilegia hoc modo: *Decernimus inſuper, vt ijdem Confeſſarij prædictos Confratres, cuiuſcunque gradus, ſtatus, conditionis, & præeminentiæ, etiam ſi ſpeciali nota digna fuerint, à caſibus contentis in litteris, quæ die Cœnæ Domini legi conſueuerint, necnon violationis immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ, & clauſuræ Monaſteriorum Monialium, ſi videlicet ſine neceſſaria, & vrgenti cauſa, ac Superiorum licentia, vel etiam ſi cauſa, & licentia conceſſa abutentes, prædicta Monaſteria ingreſſi fuerint; necnon violentæ manus iniectionis in Clericum; & ſingularis certaminis, ſeu duelli, ac ab alijs*

etiam caſibus, tam à nobis quàm à prædicto noſtro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinarijs reſpectiuè reſeruatis, & pro temporè reſeruandis, & etiam à quauis excommunicatione ab homine lata, abſoluere, & ſuper irregularitatibus, tam ex aliquo defectu prouenientibus, quàm occaſione delicti contractis cum aliquo diſpenſare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo poſſint. Ab alijs ergo caſibus (iſtis exceptis) poterunt Confeſſarij abſoluere Confratres noſtros.

10 Addit noſter Stratius *ſupra cap. 7. num. 2.* nec poſſe illos abſoluere à ſimonia reali, ſcienter contracta, aut à confidentia beneficiali, in Italia ſcilicet extra Vrbem, eo quod idem Clem. VIII. in decretis, quæ referimus *tom. 1. cap. 19. num. 15.* id declarauerit, & in Bulla de qua in præſenti dixerit Confeſſarios abſoluere poſſe dictos Confratres per eorum priuilegia quatenus non ſint *reuocata, aut ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa*. In dictis autem decretis reuocauit idem Pontifex omnia priuilegia ad abſolutionem iſtorum caſuum. Cæterum quia illa decreta edita ſunt anno 1601 & 1602. & in eis loquitur Pontifex generaliter de Confeſſarijs: in hac autem Bulla, quæ anno milleſimo ſexcenteſimo quarto edita fuit, loquitur ſpecialiter de Confeſſarijs Confratrum, *& generi derogetur per ſpeciem*, iuxta commune axioma Iuriſtarum, de quo in noſtro *5. tom. Quæſt. Regul. in Mari magno Carmelit. num. 222.* Ideo exiſtimandum in hac Bulla poſteriori illis decretis ea declaraſſe, vt quod attinet ad abſolutionem Confratrum, non intelligantur niſi iuxta modum præſcriptum in ea.

11 Quoad illud de facultate commutandi vota, & iuramenta exceptis illis de quibus ibi eſt ſermo, non videtur eſſe reuocatum, ſed manere in ſua vi. Notandus tamen error, qui in prædicta Bulla, quoad hoc punctum videtur eſſe. Cum enim dicitur: *Vota verò Viſitationis quæcunque vltra marina (Liminum Beatorum Petri, &c. exceptis)* errore Scriptoris ita factum eſſe videtur; ita vt dici deberet: *Vota vero quæcunq. (viſitationis vltramarinæ, Liminum Beatorum Petri, &c. exceptis)* Intentum enim Pontificis illud videtur eſſe, vt quæ-

quæcunque vota, exceptis viſitationis vltramarinæ, liminum Apoſtolorum, ſancti Iacobi in Compoſtella, Religionis, & caſtitatis poſſent commutari in alia pietatis opera. Hic enim eſt communis modus concedendi hanc facultatem. Alias enim, ſi prout in prędicta Bulla iacet, eſſet legendum, ſequeretur poſſe prędictos Confeſſarios commutare Confratrum vota viſitandi Sanctum Sepulchrum, non autem recitandi ſemel coronam Virginis, quod eſt abſurdum.

12 Circa illud priuilegium pro tempore interdicti modo ibi aſſignato nota, quòd nõ videtur reuocatum à Cõcilio, ſed in ſuo vigore permanere. Etſi enim Concilium Tridentinum *Seſſ.25.cap.12.* iuſſerit interdicta omnia à Regularibus obſeruari debere, tamen nec ibi, nec *cap.22.* vbi reuocantur priuilegia contraria, loquitur de Confratrijs, aut Confratribus, ſed ſolum de Religioſis. Et ita ex noſtris auctoribus, qui poſt Concilium ſcripſere, ſupponitur à Petro Lucio *in Compend. hiſtor.* Thoma de Ieſu *lib.2. de Confraternit. Carmelit. cap.5. §.1.* (vbi dicit ita practicatum fuiſſe in inſigni Salmanticenſi Academia, annuentibus doctiſſimis Doctoribus Mancio, Sancio, Medina, & Rodriguez eiuſdem Gymnaſij Magiſtris), & Reuerendiſſimo Theodoro Stratio] *ſupra cap.5. num.4.*

13 Illud verò de Altari portatili ea parte qua dicitur etiam in locis non ſacris poſſe eſſe vſum illius, videtur reuocatum à Concilio *Seſſ.22. in decretis de obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſſ.* quatenus ibi ordinatur, *ne in priuatis domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria* ſanctum Sacrificium peragatur, cum reuocatione priuilegiorum in fine. Quamuis hoc non ſit ita certum, vt oppoſitum probabiliter dici non poſſit, aſſerendo Concilium ſolùm loqui contra eos, qui regulariter, aut continuo vtuntur prædicto Altari portatili extra Eccleſiam, non de ijs, qui in caſu particulari, & raro contingenti, ſcilicet in caſu interdicti, eo vtuntur.

14 Illud de ſepultura tempore interdicti nõ videtur eſſe

Digitized by Google

reuocatum. Sicque ſupponunt etiam poſt Concilium Petrus Lucius *ſupra*; Thomas de Ieſu *eo cap.5.§.1.* Reuerendiſſimus Stratius ſimiliter eo *cap.5.n.4.*

15 Illud vero de Stationũ Vrbis Indulgentijs lucrandis à Confratribus viſitãdo vnam, vel duas Eccleſias, aut vnum vel duo Altaria vbicunque reſederint, reuocatum cenſemus à Paulo Quinto in Bulla inferius referenda, vt diximus *tom.2. noſtræ ſummæ Quæſt. Regular. cap.15. num.37. in fin.* & ſequitur Reuerendiſſimus Stratius *ſupra cap. 21. num.3.* eo quòd in ea Bulla reuocauerit omnes, & quaſcunque Indulgentias conceſſas Confratribus, nouas illis concedendo. Nihilominus tamen quia Clemens Septimus in Bulla relata concedit omnibus Chriſti fidelibus, eaſdem Indulgentias Stationum cum obligatione porrigẽdi manus adiutrices pro noſtris Monaſterijs, & Fratribus, illis verbis: *Inſuper etiam omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui pro Monaſteriorum, & domorum reparatione, ac Fratrum huiuſmodi ſuſtentatione manus porrexerint adiutrices, ſupradictas Indulgentias conſequi poſſint, & conſequantur*; ideo noſtri Confratres, non quatenus Confratres ſunt, ſed quatenus ſub generali nomine Chriſti fidelium comprehenduntur, poſſunt etiam lucrari huiuſmodi Indulgentias Stationum. Cæterum quia Pius Quintus in Bulla, *Etſi Dominici* anno 1567. edita inter Conſtitutiones ipſius tom.2. Bullarij *num.*30. reuocauit omnes Indulgentias conceſſas, pro quibus conſequendis manus adiutrices porrigendæ ſint, idcirco Confratres prędicti, alijque Chriſti fideles, vt lucrentur dictas Indulgentias Stationum, debent facere, id quod Gregorius Decimus tertius in Bulla, *Vt laudes* inferius referenda commutando dictas manus adiutrices præſcribit his verbis: *Indulgentias verò per infraſcriptos Romanos Pontifices cum dicta clauſula porrigendi eleemoſynas, aut manus adiutrices conceſſas, & per felicis recordationis Pium Papam Quintum etiam Prædeceſſorem noſtrum reuocatas, dempta ea clauſula, ita tamen quod hi Chriſti fideles, qui illas conſequi voluerint Eccleſias viſitando ſint contriti, & confeſſi, ac loco eleemoſynæ prædictę iuxta Pręedeceſſorum prędictorum voluntatem*

ero-

erogandę, ſepties orationem Dominicam, itidemque Salutationem Angelicam recitent, vel habitum dicti Ordinis, ſicut in litteris Apoſtolicis piæ memorię Ioannis Papæ XXII. ac Alexandri Quinti, necnon Pij Quinti Prædeceſſorum noſtrorum continetur, geſtent, vel Veſperas pro Defunctis recitent; aut ante ſanctiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus terram exoſculentur, & pro hæreſum extirpatione, ſanctæ matris Eccleſię tranquillitate, Chriſtianorumque Principum pace, & vnione pias ad Deum preces effundant, & alias, iuxta dictorum Prędeceſſorum noſtrorum litterarum ſeriem orent, aliaque peragant, in priſtinum, & in eum in quem ante reuocationem huiuſmodi erant ſtatum reſtituimus, ac reualidamus. Ex quibus Reuerendiſſimus noſter Stratius ſupra *cap.17. num. 3.* concludit: *Propterea Confratres noſtri ſi cum habitu aliquam noſtram Eccleſiam viſitauerint, quamuis nec ſepties orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, nec Veſperas Defunctorum recitauerint, nec ante ſanctiſſimum Domini noſtri Corpus terram deoſculati fuerint, modo contriti pro hæreſum extirpatione, Chriſtianorum Principum pace; ac ſanctæ Matris Eccleſiæ tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, præfatas Indulgentias conſequi poterunt.* Videtur autem requiri, quòd efficiant illa, quæ pro Confraternitate Carmelitana requiſita ſunt, de quibus inferius dicendum: ſiquidem Pontifex dicit: *Vel habitum dicti Ordinis geſtent*, non quomodolibet, ſed *ſicut in litteris Apoſtolicis piæ memoriæ Ioannis Papę XXII. ac Alexandri Quinti, necnon Pij Quinti Prædeceſſorum noſtrorum continetur*; id eſt, ſeruando conditiones Confraternitatis. Notat etiam idem Stratius *eo num.3. cap.17.* huiuſmodi Indulgentias non contineri in reuocatione generali Indulgentiarum Confratrum facta à Paulo Quinto, quia ſolum ipſe reuocauit perſonales, non autem locales, ſeu conceſſas Eccleſijs, vt latè probauerat eo loco *cap.1.* & nos cum alijs *t.1. noſtræ Summæ cap.3. num.19. & tom.3. verbo Indulgentia quoad Regulares num.8.* Addimus nos, ſolum reuocaſſe Paulum Quintum in ea Bulla Indulgentias conceſſas ipſis Confratribus, prout Confratres ſunt, non verò conceſſas omnibus Chriſti fidelibus, ac per conſequens Confratribus quatenus ſub iſta generali-

Digitized by Google

tate comprehenduntur, quales ſunt iſtæ, de quibus in præſenti. Alia quæ ſpectant ad huiuſmodi Indulgentias Stationum, ſcilicet, an per illas non ſolum intelligantur eæ, quę conceſſæ ſunt à ſancto Gregorio Papa, ſed etiam aliæ, quę ab alijs Pontificibus conceſſæ fuerunt viſitantibus dictas Eccleſias; & an hoc etiam extendatur ad Indulgentias Plenarias, ſeu totales; & ad Indulgentias pro Defunctis, latè agit idem Reuerendiſſimus Stratius ſupra *cap.* 21. & nos dicto 3. *tom. Summæ verbo Indulgentia quoad Regulares num.* 22. & 21. Vbi etiam de Eccleſijs iſtarum Stationum, de quo vulgariter plura extant Summaria.

16 Tandem, vt ad priuilegia Clem. VII. reuertamur, illud vltimum de participatione precum, ſuffragiorum, eleemoſynarum, ieiuniorum, Miſſarum, & cęterorum ſpiritualium bonorum, quæ in vniuerſali Eccleſia pro tempore fiunt, communicata omnibus fidelibus, qui ſuis eleemoſynis Ordinem noſtrum iuuerint, quo etiam Confratres noſtri fruuntur, quatenus comprehenduntur ſub generali nomine fidelium, ita vt quilibet illorum dicere poſſit illud Pſalm. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*, eſt maximum beneficium; & non reuocatum à Pio Quinto in generali reuocatione indulgentiarum, pro quibus manus adiutrices requiruntur, quia iſtæ gratiæ, aut fauores non ſunt Indulgentiæ, vt bene noſter Stratius *ſupra cap.* 22. nec à Paulo Quinto in reuocatione generali Indulgentiarum pro Confratribus, propter eandem rationem, & quia hæc conceſſio non eſt pro Confratribus, ſed pro cunctis Chriſti fidelibus. De quo, & qualiter ſit intelligendum, conſulendi ſunt Theologi, & quæ diximus 3. *tom. Summæ verbo bona Regularium*.

17 Poſtea Gregorius Decimuſtertius anno 1577. in Bulla *Vt laudes* referens gratias, & priuilegia Ordini, ac Confraternitatibus noſtris conceſſa, quæ approbat, & confirmat ſic dicit: *Idemque Ioannes Vigeſimuſſecundus pro animabus, quę in Purgatorio exiſtunt, & habitum huius Religionis geſtarunt,*

vel

vel eorum Confraternitatem ingreſſi fuerint, vel Confratrum numero aſcripti in honorem eiuſdem Beatæ Mariæ Matris Dei, die Sabbati poſt eorum tranſitum interceſſionibus continuis, pijs ſuffragijs, & meritis, ac ſpeciali protectione adiuuandis publicauit, corroborauit, & confirmauit. Inferius etiam quę Clemens Septimus, poſt Ioannem Vigeſimumſecundum, & Alexand. V. Fratribus, & Confratribus conceſſit, referens, ea etiam approbauit, & confirmauit, clauſula tamen porrigendi eleemoſynas, & manus adiutrices, dempta, & in alia opera commutata, verbis relatis ſupra *num.* 15. Maximè verò, quæ idem Clemens Septimus conceſſerat circa participationem omnium bonorum ſpiritualium Eccleſię, & Indulgentias Stationum, quas etiam dicit à Pio Quinto ſuo immediato Prædeceſſore approbatas, & confirmatas fuiſſe.

18 Tandem Paulus Quintus Romæ apud ſanctum Petrum die trigeſima Octobris anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto in Bulla *Cum certas*, reuocatis, & caſſatis omnibus, & ſingulis Indulgentijs, peccatorum remiſſionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus conceſſis Confraternitati noſtri Ordinis, nouas has Indulgentias ipſi conceſſit, his verbis: *Omnibus vtriuſq. ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem vbique locorum, tam hactenus canonicè (vt præfertur) inſtitutam, quàm deinceps, vt infra, inſtituendam, de cætero ingredientur, & habitum receperint, die primo eorum ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam. Ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quàm iam deſcriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui in feſto principali Commemorationis eiuſdem B. Mariæ die* 16. *Menſis Iulij, aut iuxta ritum nonnullorum locorum die Dominica immediate ſequẽti celebrari ſolito, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam. In mortis quoque articulo eiſdem vtriuſ-*

que

que ſexus Confratribus, qui pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſima Communione refecti, nomen Ieſu ore, ſi potuerint; ſin autem corde deuotè inuocauerint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Necnon ipſis Confratribus, & Conſororibus qui ſimiliter pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti Proceſſioni in vna Dominica cuiuslibet Menſis per dictam Confraternitatem, de Ordinarij licentia faciendæ deuotè interfuerint, & ibi (vt præfertur) orauerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Ipſis verò, qui ab eſu carnis his diebus, quibus Confratres dictæ Confraternitatis ex illius inſtituto veſci non ſolent, abſtinebunt, tercentum dies. Qui autem qualibet die ſepties orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad honorem ſeptem Gaudiorum eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis recitauerint, quadraginta dies. Necnon etiam qui cum habitu eiuſdem Confraternitatis pœnitentes, & confeſſi ſemel in Menſe ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, &, vt præfertur, orauerint, quinque annos, & totidem quadragenas. Iis verò Confratribus, & Conſororibus, qui pœnitentes, & confeſſi in qualibet ex feſtiuitatibus eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis dictum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia, vel Capella dictæ Confraternitatis deuotè ſumpſerint, &, vt ſupradictum eſt, orauerint, tres annos, & totidem quadragenas. Qui autem cum lumine dictum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, & pro eiſdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos, & totidem quadragenas. Qui verò corpora Defunctorum tam Confratrum, & Conſororum, quàm aliorum ad ſepulturam aſſociauerint, & pro eorum animabus ad Deum orauerint, centum dies. Quoties verò prædicti Confratres, & Conſorores Officium eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis deuotè recitauerint, centum dies. Qui verò Miſſis, & alijs diuinis Officijs in Eccleſia, vel Capella, aut Oratorio dictæ Confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, ſiue Congregationibus publicis, vel priuatis eiuſdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, aut eis in eorum neceſſitatibus, vel in periculo peccandi exiſtentibus

tibus

Digitized by Google

tibus auxiliati fuerint, aut eleemoſynas temporales, vel ſpirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis proprijs, vel alienis compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procurauerint, aut deuium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea quæ ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum centum dies de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Ac dilecto filio nunc, & pro tempore exiſtenti Priori Generali dicti Ordinis Carmelitarum, vel, illo abſente eius Vicario Generali, vt huiuſmodi Confraternitatem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo vbiuis locorum extra Vrbem erigere, & inſtituere, illique omnes ſupradictas Indulgentias, & gratias ſpirituales (ſeruata tamen forma præſcripta in Conſtitutione fel. record. Clement. Prædeceſſ. ſuper dictarum Confraternitatum aggregationibus, & inſtitutionibus edita) communicare ſimiliter liberè, & licitè poſſit, & valeat auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur.

19 Quia tamen in hac Bulla ipſis Confratribus, & Conſororibus aſſiſtentibus proceſſioni in vna Dominica cuiuslibet menſis per dictam Confraternitatem faciendæ ſeptem annos, & totidem quadragenas conceſſerat, vt præmiſſum eſt; poſtea ſub anno 1609. plenariam Indulgentiam eiſdem conceſſit, verè tamen pœnitentibus, confeſſis, & ſacra Communione refectis, & orantibus pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſis extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione. Item anno 1614. ſupplicante Theodoro Stratio eo tempore Procuratore Generali, & poſtea Priore Generali Ordinis, extendit prædictam Indulgentiam ad Confraternitates omnes ſub inuocatione Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo in quacunque mundi parte de cætero canonicè erigendas.

20 Circa prædictas autem Pauli Quinti Indulgentias aliqua notanda. Primum, quòd per huiuſmodi reuocationem Indulgentiarum non ſunt reuocatæ, aut caſſatæ illæ,

Digitized by Google

quæ conceſſæ erant Eccleſijs Ordinis noſtri, iuxta dicta tom. 1. *Summæ* c. 3. *num.* 19. pro quo vide Gauantum *in Man. Epiſcopor. verb. Indulgentiæ num.* 25. Secundum, probabile eſſe, nec etiam reuocatas eſſe Indulgentias conceſſas Confratribus defunctis, aut in articulo mortis conſtitutis, propter ea, quæ dicta ſunt citato loco. In hoc tamen aliorum iudicium attendendum. Tertium, quòd licet ad lucrandas prædictas Indulgentias ſufficiat facere ea quæ à prædicto Pontifice deſignantur, ad fruendum tamen ſingulari priuilegio, quod vulgo *Bullæ Sabbatinæ* nuncupatur, videlicet, de auxilio, & patrocinio à Beata Virgine præſtando animabus Confratrum in Purgatorio exiſtentibus poſt ipſorum mortem præcipuè die Sabbati, prout ex Summis Pontificibus Ioanne Vigeſimoſecundo, Alexandro Quinto, Clemente Septimo, & Gregorio Decimotertio relatis, ac ex ſacris Congregationibus ſanctæ Inquiſitionis, & Rituum adductis habetur, aliquot requiruntur conditiones. Etſi enim in ſingulari illa promiſſione ab eadem pijſſima ſuo deuotiſſimo famulo Beato Simoni Stoch facta, de qua ſupra c. 5. *n.* 10. actum, et per quam illi, et omnibus habitum, ſeu Scapulare Ordinis geſtantibus vſque ad mortem, ſalutem ęternam, iuxta modum ibi explicatum, & alios fauores pollicita eſt, nulla exprimatur conditio, ſeu obligatio rei faciendæ ab ipſis, ac proinde ex vi ipſius præciſè acceptæ nihil vlterius exquiſitum appareat ad gaudendum Virgineo Patronatu niſi habitus Carmelitici geſtatio in ſignum Marianæ Clientelæ; nihiloſecius, quia eadem ſapientiſſima Virgo ſuam veluti exponens mentem Ioanni Vigeſimoſecundo Papæ, Fratrum, et Confratrum ſui Carmelitici cœtus onera, et obligationes expreſſit, eaſque tum Ioannes ipſe, tum poſteriores Pontifices, ac Apoſtolicæ Sedis Iudices relati eas poſtmodū confirmarūt immobiliter huiuſmodi decretis inhærendo, onera iſta, conditiones, ſeu obligationes ſigillatim cenſere debemus, vt etiam in hoc ſaluetur, quod quemadmodum in humanis Patronatibus, iuxta dicta *cap.* 2. *num.* 5. aliquę etiam conditiones præſcribi ſolent,

ſic

ſic et in iſto Almæ Virginis Patronatu reperiatur.

21 Prima omnium eſt, Habitum Ordinis ſuſcipere, & geſtare. Ita enim habetur in Bullis Ioannis Vigeſimiſecundi, Alexandri Quinti, Clement. VII. Greg. XIII. ac in decreto ſanctæ Inquiſitionis Romanæ, anno milleſimo ſexcenteſimo decimotertio, qui habitus, ſeu Scapulare coloris griſei debet eſſe, vt aſtruunt Thomas de Ieſu *lib.2. Confraternit.Carmel. cap.4.* Cyprianus à ſancta Maria *in Theſaur. Carmelit ca.24.* & ſaltem pro prima vice ab aliquo Prælato Ordinis, ſeu ab ipſo auctoritatem habente benedictum. Declaratur autem in noſtris Conſtitutionibus *par.4.cap.28.n.6.* Superiorem qui poteſt habitum benedicere, & hanc facultatem delegare, eſſe Generalem Ordinis pro tota Eccleſia, Prouinciales pro ſuis Prouincijs, Priores verò locales poſſe quidem id facere per ſe ipſos, non tamen alijs delegare hanc facultatem. Debere autem dari tale Scapulare, vel habitum à Superioribus Ordinis colligitur à ſimili de chorda Diui Franciſci, quam debere ſimiliter à Superioribus eiuſdem Ordinis dari Confratribus eius Confratriæ expreſſit Sixtus Quintus in Bulla *Diuinæ charitatis* anno 1587. apud Rodrig. *tom.1.qq. reg. q. 58. art.1.* Et ita tenent Petrus Lucius *in Compend. hiſtor. Carmel.* Thomas de Ieſu *ſupra*.

22 Secunda, ſaltem ex conſuetudine, & conformiter ad noſtras Conſtitutiones *par.2. cap.28. num.7.* imò conformiter ad Bullam Pauli Quinti *ſup.* relatam, deſcribi in libro Confraternitatis. Quia tamen in Bulla Greg. XIII. & verbis relatis ſupra *n.17.* ſub disiunctione ponitur, vel ingredi Confraternitatem, vel Confratrum numero aſcribi, non videtur prædicta conditio eſſentialis; licet ſine dubio obſeruanda pro maiori cautela; maximè quia ſimilis conditio pro Confraternitate chordæ ſancti Franciſci videtur neceſſaria, vt aſſert Rodriguez *tom.1. qq. regular. q.58. art.1.* & pro omnibus Confraternitatibus id habet Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. in Sixto V. num.13. ſchol.2.*

23 Tertia, ſeruare caſtitatem reſpectiuè ad ſtatum, in quo ſunt Confratres, & Conſorores. Hæc enim condi-

tio

tio à Summis Pōtificibus relatis deſignatur. Quę non ſic eſt intelligenda, vt confraternitatē ingredientes teneantur votum caſtitatis emittere, quemadmodum Fratres in profeſſione, vt docent Thomas de Ieſu *ſupra*, & alij communiter; ſed quod caſtitatem pro ſuo ſtatu colant. Nec ita eſt intelligenda, quod ſtatum mutare nequeant. Confratres enim ſoluti, & Conſorores virgines ad nuptias tranſire poſſunt, & tunc ad coniugalem caſtitatem, non ad virginalem tenebuntur. Ita enim ſupponunt Auctores noſtri de hac conditione loquentes, ſpecialiter Petrus Lucius *in Compend. hiſtor. Carmel.* Vnum etiam illud pro hac (idem dico pro ſequenti) conditione aduertendum eſt, quòd ſcilicet quamuis aliquis humana fragilitate ductus ſemel, bis, aut pluries cōtra caſtitatem peccauerit, ſi tamen pœniteat, firmiterq. proponat iterum eam ſeruare, vt huius priuilegij particeps efficiatur, non propterea incapax ipſius efficietur. Thomas de Ieſu *ſupra*.

24 Quarta conditio eſt, recitare Officium Canonicum, ſi illud recitare nouerint, ſin autem non nouerint, loco Officij, Eccleſiæ ieiunia obſeruare, & feria quarta, & Sabbato à carnibus abſtinere, niſi vbi in his diebus Natiuitatis Domini feſtum inciderit. Sic enim habetur in prædicta Bulla Clem. VII. referentis Ioannem Vigeſimumſecundum, & Alexandrum Quintum, & in decreto adducto ſanctę Inquiſitionis Romanæ anno milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio: & indicatur in lectionibus Officij Commemorationis ſolemnis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo à ſacra Congregatione Rituum approbatis. Adiungitur autem dies Sabbati, quia licet in eo ex vi iuris communis carnium eſus prohibeatur, in aliquibus tamen Prouincijs, vt in Hiſpania, Gallia, & Brabantia conſuetudine vetuſta hoc præceptum limitatum eſt. Vt notat Petrus Lucius infra referendus. Licet autem in prædicta Clem. VII. Bulla ex Ioanne XXII. & Alexandro Quinto dicatur hoc Officium debere eſſe *horas Canonicas iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini conceſſam, & ordinatam*, quia tamen in

præ-

prædicto decreto ſanctæ Inquiſitionis Romanæ dicitur, *Officiumque paruum recitauerint*, denotari videtur Eccleſiam auctoritate qua pollet explicaſſe Officium illud Canonicum ad lucrandum hanc gratiam requiſitum ſufficienter ſuppleri per Officium paruum Beatæ Virginis: ita vt non recitantibus magnum Officium ſufficiat paruum B. Virginis recitare. Ita etiam hæc conditio intellecta eſt à maioribus noſtris, ſpecialiter Petro Lucio Belga *Compend. hiſtor. Carmelit. in Annotat. ad Bull. Sabbatin.* Thoma de Ieſu *ſupra*. Qui etiam vlterius addit ſufficere recitare Officium ſecundum ritum Romani Breuiarij. Probabile etiam Prælatos, & Confeſſarios poſſe ex rationabili cauſa cum legitimè impeditis prædicta requiſita in alia opera pia æquiualentia commutare. Imò infirmitate detentos hoc priuilegio non fruſtrari. Id enim de benigniſſima Virgine Maria hanc gratiam concedente, & de Summis Pontificibus etiam approbantibns credi debet. Thomas de Ieſu *ſupra* relatus. Quoad ieiunia autem Eccleſiæ id notatione dignum videtur, quòd licet ad illa non teneantur fideles ante 21. annum: vt tamen hoc priuilegio frui poſſint, ad ipſa teneri, etiam ante illam ætatem; ſicut etiam in noſtra Summa *Quæſt. Regular. tom. 1. cap. 7. num. 26.* ex communi ſententia diximus ieiunia Regulæ, & Conſtitutionum obligare iuuenes profeſſos etiam ante illam ætatem. Thomas de Ieſu *eo cap. 4.*

25 Priuilegia verò, gratias, & Indulgentias, quibus milites Ordinis eiuſdem Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo ſub militari Chlamyde, eiuſdemque Vexillo à Paulo Quinto, procurante Henrico Quarto Galliarum Rege inſtituti fruuntur; ſimulque onera, & ob legationes ipſorum, ex duplici Diplomate eiuſdem Summi Paſtoris ex *tertio tomo Bullarij* Laertij Cherubini extracto habeat lector. Primum, quod eſt inter Bullas huius Pontificis 41. tale eſt.

26 *Romanus Pontifex, cuius Principatum ſuper omnes extulit diuina Maieſtas, pijs deuotorum, & ſuis obſequentiſſimorum filio-*

Digitized by Google

filiorum votis, qui maiorum ſuorum quam ſimillimi euadere, & quam nobilitatem à maioribus acceperunt, eandem poſteris ſuis inſigni aliqua acceſſione cumulatam tradere cupiunt, libenter annuit, & quæ ad id, ac ad fidem Catholicam ſartam, tectamque tuendam, & illius inimicos propulſandos, ſalutemque animarum procurandam tendere dignoſcuntur, concedit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Expoſuit ſiquidem nobis nuper dilectus filius nobilis vir Carolus de Neufuille Dominus in temporalibus d'Halincourt, & Eques vtriuſque Ordinis Regij, nomine chariſſimi in Chriſto filij noſtri Henrici Francorum Regis Chriſtianiſſimi, cuius ipſe ad Nos, Sedemque Apoſtolicam Orator exiſtit, quod ipſe Henricus Rex pro ſingulari, quo etiam vti dictę Sedis Apoſtolicę filius primogenitus tuendæ, & propagandæ, augendæque Religionis Catholicæ deſiderio feruet, ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltationem, & profectum, hæreſumque extirpationem, & hæreticorum depreſſionem, aliaque iam diu, & vſque à primordio eius feliciter ſuſcepti Francorum Regni, in eodem Regno, & alijs ditioni ſuę ſubiectis locis conſueuit adhibere remedia. Quare vnam militiam, ſeu Ordinem Militarem ad ipſius Henrici Regis arbitrium competenter de ſuis bonis mere laicalibus (non tamen beneficialibus, ſeu reditibus Eccleſiaſticis) dotandam, ſeu dotandum ex dilectis Gallicanæ nationis viris nobilibus, & ingenuè natis denominatione, ſeu titulo, ac Regula Glorioſiſſimæ, ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo, quam prædictus Henricus Rex ſui protectricem, & aduocatam ſingulari deuotione ſemper habet, ac veneratur, ſub noſtro, & dictę Sedis beneplacito, & auctoritate, erigi, & inſtitui ſummopere deſiderat, dictuſque Carolus nomine ipſius Henrici Regis Nobis humiliter ſupplicauit, quatenus eundem Henricum Regem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi, aliaſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hoc pium, et numquam ſatis laudandum deſiderium promouere cupientes, ac dictum Henricum Regem à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum

rum

